DE
IOANNA
PAPISSA



DE IOANNA PAPISSA:

SIVE

Famosæ Quæstionis,

An fœmina ulla inter *Leonem* IV, & *Benedictum* III, Romanos Pontifices, media sederit,

ἈΝΆΚΡΙΣΙΣ.

Auctore
DAVIDE BLONDELLO, Catalaunensi, Historiæ Ecclesiasticæ in Illustri Schola Amstelædamensi nuper Professore.

AMSTELÆDAMI,
Typis JOANNIS BLAEU,
CIↃ IↃ C LVII.

Reverendis, doctissimis & integerrimis viris,

ECCLESIARVM PROTESTANTIVM

In Insula Franciæ, Picardia, Campania, & agro Carnotensi

FIDIS PASTORIBVS,

Gratiam & pacem à Deo Patre, & Domino nostro Iesu Christo, precatur

STEPHANVS CVRCELLÆVS.

VIri Reverendi, fratres in Christo mihi plurimum colendi,

Sæpenumero ista ani-
um cogitatio subiit, facturum me
m, ut ab officio non alienam, ita nec
bis ingratam, si antequam ex hoc
rporis domicilio ad Dominum mi-
rem, propensam meam voluntatem
erga vos omnes, & bonam pro qua de-
certatis causam, publico aliquo scripto

testarer. Sic enim offensam, quam ex eo cepistis quod Remonstrantium cœtus vestris prætulerim, minutum iri, & nostræ charitatis antiquæ linum adhuc fumigans novam flammam concepturum. Interea vero dum commodam id præstandi occasionem expecto, ecce obtulit se aliqua satis, ut videtur, oportuna, quam non possum quin amplectar. Mea opera nunc in lucem prodit Clarissimi viri Davidis Blondelli tractatus, in quo famosam illam quæstionem expendit, An olim quædam fœmina Romæ Pontificiam sedem occuparit; *& mihi aliquid præfandum incumbit; non tantum quia hæc consuetudo passim obtinet, sed etiam quia tum opus istud, tum auctorem in varias reprehensiones incurrisse video, quas operæ pretium fore existimavi si paucis abstergerem. Vos ergo, Viri fratres, delegi quibus Apologiam meam inscriberem, quia mihi compertum est quam tenero affectu D. Blondellum semper complexi fueritis, & quanti*

do-

doctas & accuratas ejus lucubrationes faciatis; ita ut coram tam benevolis judicibus causam agens, victoriam mihi certam pollicear. Sed molestum est quod in arenam descendere oportet cum viro olim utriusque nostrûm, Blondelli inquam & mei, singulari amico, Cœtusque vestri non ignobili membro, cum quo optavissem nullam mihi unquam concertationem intercedere, nisi de mutuæ charitatis officiis, quibus alter alterum fraterne provocaremus. Is est D. Samuel Maresius, vir quidem insigniter doctus, & plurimis libris editis clarus, sed in quibus nonnulli vestrûm semper desiderarunt lenitatem illam & pacis studium, quod in Euangelii præcone requirit Apostolus. Servum Domini non oportet litigare, sed mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos qui resistunt. 2. Tim. 2. 24. 25. *Præteribo plurima scripta eristica, quæ adversus Cl. V. Gisbertum Voetium & alios emisit, ubi*

zelus amarus & contentiones utramque paginam faciunt. Inſpiciatur ſolum Syſtema Theologiæ: illud inſtar fecialis eſt, per quem omnibus Chriſtianorum Sectis bellum indicit. Margines pleni ſunt capitalibus literis, quibus Anabaptiſtas, Lutheranos, Pontificios, Remonſtrantes, Socinianos, aliosque traducit. Ibi quaſi foret oblitus ſe eſſe hominem, iiſdem quibus cæteri infirmitatibus & ignorantiæ obnoxium, in omnes à placitis ſuis diſſentientes judicium ſibi arrogat; & quos Deus omnium ſupremus judex nuſquam damnat, ipſe conſervus, eodem quo alios judicaverit judicio olim judicandus, damnare non exhorreſcit. Nec melioris eſt commatis ἐπίκρισις *illa quam nuper oppoſuit Apologiæ D. Ioannis Dallæi, pro Synodis Alenſonenſi & Carentonenſi. Etſi enim amicitiam præ ſe ferat in titulo, tamen in progreſſu & diſputationis fervore malevolum animum aperte prodit: Et quod longe intolerabilius eſt, in Cl. Blondelli nunc*

ἐν ἁγίοις, quem se vivum colere simulabat, manes & famam grassatur; objiciens ei quod in gratiam Remonstrantium meditatus fuerit eversionem doctrinæ publicæ in Belgii Ecclesiis; quod male senserit & loquutus fuerit de Synodo Dordracena; quod diu suspectus fuerit occultæ propensionis ad Remonstrantium partes; quod Apologiam Dallæi, quasi μῆλον ἔριδος, sua commendatione munitam, mox moriturus jactarit in publicum; quod vetus ipsi intercesserit cum D. Molinæo simultas: quod se profundius, quam hospitem conveniebat, Reipublicæ Batavicæ negotiis immiscuerit; quod Johannæ Papissæ historiam sugillarit & in fabulam commutarit, aliaque ejusmodi plura. Quamvis autem non dubitem, quin modo laudatus Dallæus in Vindiciis, quas parat, unam saltem aut alteram pagellam integerrimi amici patrocinio impensurus sit: tamen quia nonnulla in ista ἐπικρίσει occurrunt, quæ ita accurate non potuit nosse, ut Disput. 3. Thes. 22.

qui in Belgio degunt; putavi Defensionem, quam nunc adorno, superfluam omnino non fore. Si quis tamen forte existimet non debuisse me ista de causa calamum in D. Maresium stringere; ipsum enim tantum Blondello tribuere, ut nihil magis ab ipso requiri jure possit; vocare τὸν πάνυ, Photium nostri sæculi, & omnis antiquitatis βιβλιοθήκην ἔμψυχον, ægreque tulisse quod ea quæ modo recensuimus in illum jactarentur: is meminerit istud esse schematis Rhetorici speciem, sub alieno nomine dicere quæ aperte sub nostro profari non audemus, & eo solum tendere ut maledicentiæ aculeus, ab illo qui videtur aliud agere, tanto profundius in ejus quem ferit nomen infigatur. Optionem tamen D. Maresio non illibenter relinquam, utrum hypocritis amicitiæ simulatoribus, an vero apertis convitiatoribus, accenseri malit; certus utrumque pariter ab honesti viri, præsertimque Theologi, qualem se profitetur, officio longissi-

me

me abesse. Laudes etiam istæ non vulgares quibus Blondellum extollit, non satis solidum sunt benevolentiæ argumentum. Quemadmodum enim venena non solent propinari seorsim, sed optimis & suavissimis cibis admixta; ita in more positum est sycophantis, sub laudum melle calumniarum suarum fel occultare, ut facilius fidem inveniant, & non videantur ex odio profectæ, sed veritatis vi à nolentibus extortæ. Deinde haud scio, an ullæ lateant insidiæ sub Photii appellatione, quem doctissimum quidem fuisse constat, sed ambitiosum, rixosum, & parum pium. Iustam enim istud suspicandi causam esse, arguunt cætera omnia, quæ merum vituperium sapiunt; adeo ut Blondello nihil reliquerit præter scientiam quæ inflat; *adimat vero* charitatem quæ *ædificat, & sine qua* linguis hominum & Angelorum loqui, & nosse mysteria omnia, omnemque scientiam, *nihil plane ad salutem confert.* 1. Cor. 8. & 13.

Sed quæ fuit, dicet aliquis, Censori (sic D. Maresium ab ἐπικρίσεως, id est, Censura, jure nominare possum) tanti odii in Symmystam & veterem amicum, causa? Neque enim videbatur ita male inter ipsos convenire ante sex aut septem annos, cum primum Blondellus ad Amsteldamensem professionem vocatus est. Nec ea, quæ in Censoris scripto apparent, sunt quæ præcipue animum ejus irritarunt, etiamsi momentum quoque suum contulisse non negem. Sed est aliud quod propius ipsum tangit, & tamen patefacere non audet. Paucis ergo aperiam. Placuerat Censori in auxilium causæ Prædestinariæ vocare Iansenitas, & eo fine Catechismum gratiæ ab ipsis Gallice editum in Latinum sermonem converterat, Scholiaque sua adjecerat, quibus illos in eadem secum esse sententia ostendere nitebatur. Quod opus D. Baroni à Gent inscripserat, & in epistola dedicatoria fratres suos, verbi divini in Gallia Ministros, sarcastice perstrinxe-

ſtrinxerat, eo nomine quod Dei erga universſum genus humanum bonitatem & miſericordiam prædicarent; comparans eos cum nautis, qui dum compendioſiorem viam quęrunt ſub Polo in orientem, incidunt in Syrtes & à glacie obruuntur. *Et dicens,* habituros quod erubeſcerent, videntes Romanæ communionis Theologos Janſenitas, ea quæ ipſi doceant in Jeſuitis improbare & deteſtari. *Ita ſub Ianſenitarum nomine (verene an falſo, jam non inquiro) doctrinam de gratia Dei univerſali erga omnes homines* deteſtandam *appellans: qua accuſatione ut nihil atrocius, ita neque injuſtius quicquam fingi poteſt. Iſtud diſplicuit Blondello, ideoque privatim gravi & amica epiſtola Cenſorem à Symmyſtis ſuis ita inſectandis dehortatus eſt. Qui nihil ad eam repoſuit; ſed corde indignationem premens, cœpit Auctorem odiſſe, contumeliam interpretatus quod ſe officii monere auſus eſſet; quaſi tantus fo-*

ret

ret doctor, ut à nemine posset aut deberet admoneri. Quemadmodum autem fluvius cataracta aliquandiu retentus postea majori cum impetu erumpit: ita odium, quod vivente Blondello patefacere timuerat, post ejus obitum, (sciens, ut ipse alicubi D. Dallæo objicit, mortuos non mordere, *& absque periculo barbam leoni mortuo vellicari,) continere amplius nequivit. Quasi mendacii Salvianum accusare voluisset, qui* morte omnem inimicitiam dissolvi scribit. *Nam in sepulchrum usque fratrem persequitur; ad instar ignavorum militum, qui hostium, quorum cum adhuc viverent aspectum ausi non fuissent sustinere, cadavera gladiis confodiunt; vel, si mavis, Asinii Pollionis, qui* orationes in Plancum parabat, quæ ab ipso aut liberis post mortem Planci ederentur, ne respondere posset. *Quod cum Planco nuntiatum esset, lepide dixit,* Cum mortuis non nisi larvas luctari. Et hoc dicto sic repercussit illas, ut apud

Lib 2. ad Ecclesf. Cathol.

apud eruditos nihil impudentius judicetur. * *Idemque, si bene auguror, maledicis Censoris chartis eventurum est. Nunc accingamus nos ad criminationes ejus sigillatim expendendas.*

* Plinius, præfat. histor. natur.

Primum dicit, multum de Blondelli existimatione detrivisse apud plerosque, quod Apologiæ Dallæi prologum galeatum præfixerit; ac si meditatus fuisset in gratiam Remonstrantium eversionem doctrinæ publicæ in Belgii Ecclesiis. *Quid atrocius, sed simul etiam quid iniquius, & ab omni veri specie alienius, potuit Censor adversus fratrem suum comminisci? Quomodo enim Blondellus meditatus esset, in Remonstrantium gratiam, doctrinæ publicæ in Ecclesiis Fœderati Belgii eversionem, cùm Remonstrantes ipsi à tam enormi facinore plane abhorreant? Nam quænam est, dic quæso, doctrina hîc publicè recepta? nonne Christiana religio? Atqui huic ex toto corde favent Remonstrantes,*

& eam

& eam tanquam divinam amplectuntur, ex illius pia observatione æternæ se beatitudinis aliquando participes fore sperantes. Intelligisne Religionem à variis erroribus & corruptelis, quæ temporis lapsu in eam irrepserant, à centum & quadraginta annis aut circiter reformari cœptam? Istam quoque ex animo probant Remonstrantes, ut omnibus notum est in Belgio, & iis qui Confessionem aliaque ipsorum scripta inspicere volent constare potest. Atque utinam tu, & pauci aliquot zelotæ tui similes, progressum ejus, dogmata aperte falsa, absurda, Deique honori, & bonis moribus inimica, pertinaciter tuendo non retardarent! Quid tibi igitur est doctrina publica? num Synodi Dordracenæ decreta? Ita profecto: aliam enim intelligere non potes. Atqui hæc exiguam tantum Religionis Christianæ partem complectuntur, quæ absque salutis æternæ dispendio non solum ignorari potest, sed etiam rejici; ut passim Reformati fere omnes, si non

si non expressis verbis, re tamen ipsa fatentur, cùm Remonstrantes ad Sacram Eucharistiam secum celebrandam, salva sua de Prædestinatione sententia, invitant & admittunt. Quid hoc enim aliud est, nisi ipsos pro veris Christi membris, & salutis æternæ hæredibus agnoscere? Sed ut clarius adhuc Censoris iniquitas pateat, consideretur solum arrogans ille quem Epicrisi suæ præfixit titulus, ubi opinionem Spanhemii, quam Dallæus in Apologia sua impugnat, pro constanti Ecclesiarum & Scholarum Belgicæ fœderatæ sententia venditat. Quo tamen nihil falsius fingi potest. Incolarum enim Belgicæ istius mediam partem, aut forte aliquanto plus, constituunt Pontificii: alterius medietatis quadranten, aut circiter, faciunt (ut Iudæos præteream) Lutherani, Mennonitæ, et Remonstrantes simul juncti. Ita ut si in octo partes dividerentur, tres ad summum futuræ essent illorum qui se solos Christi Ecclesiam, populum

lum Dei electum, non minus ridicule & superbe, quam aliqui Romano-Catholici, dici volunt. Atqui in aliis cœtibus plurimi sunt docti & Deum timentes, quos ex Christianorum albo delere, eorum tantum est qui Antichristi spiritu aguntur. Illi autem omnes à Prædestinationis absolutæ dogmate abhorrent. Falso igitur jactat Censor, illam esse constantem Ecclesiarum & Scholarum fœderatæ Belgicæ sententiam, quæ ne quidem mediæ ejus partis est; dicam amplius, imo vix decimæ. Quod scio nostri Status ignaris παράδοξον *visum iri; sed tamen verissimum est. Nam inter illos qui se Ecclesiæ reformatæ membra esse profitentur, pauci sunt, qui Prædestinationem istam, pro qua Censor tantopere est sollicitus, probent: plerique vero cum Remonstrantibus sentiunt, aut saltem gratiam Dei salutarem ad omnes se homines extendere cum Dallæo credunt. Adeo ut Pastores aliquibus in locis cogantur, ne auditores suos amit-*

tant,

tant, de iſto dogmate plane ſilere; abacturi eos ſi ita plane & aperte, ut in Exercitationibus Spanhemianis fit, illud proponerent. Atqui ſaltem, inquies, Miniſtri & Profeſſores de eo inter ſe conſentiunt. nequaquam. Alii enim Supralapſarii ſunt, alii Infralapſarii, alii Vniverſaliſtæ, & quidam etiam à Remonſtrantibus non alieni. Sed fac, ipſos omnes in eadem eſſe ſententia, iſtud exigui eſt momenti, quamdiu non poſſunt ad eam populum qui ipſos audit adducere. Paſtores enim ſoli Eccleſiam non faciunt. Hîc autem eſt quod merito obſtupeſcas, quomodo Cenſor tam calide Spanhemii defenſionem adverſus Dallæum ſuſceperit, cum Spanhemius Supralapſarius ſit, ipſe vero Infralapſarius, & Supralapſariorum opinionem ante paucos annos in D. Gisberto Voetio profeſſore Vltrajectino, acerrime peculiari libello oppugnarit. Quod igitur in hoc ut heterodoxum carpſit, in illo-ne jam ut orthodoxum probat? Nonne tam

aperta contrarietas justam suspicandi causam præbet, ipsum in disputationibus suis non tam veritatem quærere, quam affectibus servire? Rem vero ita se habere ut constet omnibus, non pigebit hîc inserere quædam emblemata ex Spanhemii Exercitationibus, collecta à D. Paulo Testardo, & inserta Epistolæ ad D. D. Molinæum & Rivetum, quæ in principio τεττάρων ipsius Φροντίδων de Natura & Gratia conspicitur. 1. Ex prima Dei intentione, primoque decreto, permittendi lapsus hominis *decreto ipso priori*, multo maximam generis humani partem exitio æterno irrevocabiliter destinatam. 2. Contrarium esse ordinem decreti seu intentionis Dei, ordini executionis; adeoque si accurate loqui velimus, non posse decretum de creando homine naturâ prius censeri decreto de permittendo hominis lapsu; quia si decretum illud prius censeatur, etiam prioritate naturæ, secuturum

sit

ſit in executione inverſum ordinem futurum, & prius Deum permiſſurum lapſum, & poſt demum creaturum hominem, ſecundum ſaniorem Theologiam & Philoſophiam. 3. Cauſam cur Deus reproborum mundum odio habuit, non eſſe quia ut incredulum, *ſeu peccatorem*, conſideravit; ſed ex mero Dei beneplacito, & ideo tantum quia placuit Deo eos odiſſe. 4. Deo pro ſapientia ſua & libertate totum negotium dirigente, lapſum eſſe hominem neceſſario. 5. Deum voluiſſe ut omnes homines corrumperentur in uno homine. 6. Deſtinationes ſeu voluntates conditionales Deo, ejus reſpectu, ullo modo tribuere, vitioſum eſſe, Arminianum, Vorſtianum, Socinianum; ſicut & dicere januam ſalutis omnibus hominibus apertam per Dei miſericordiam. 7. Hæreticum eſſe dicere, ſolam incredulitatem eſſe reprobationis cauſam, *aut* omnes *pereuntes* ex in-

credulitate judicatum iri die ultimo. 8. Redemptionem Christi maximæ parti eorum quibus revelatur, nullo modo, ne conditionaliter quidem esse destinatam. 9. Syllogismum hunc practicum, (Christus mortuus est pro omnibus hominibus, Atqui ego sum homo, Ergo Christus est pro me mortuus,) nec posse dare solatium homini peccatori, & Hubero ac Puccio tanquam malam mercem esse relinquendum. 10. Causam cur promiscue & indiscriminatim promissio Euangelica quibusvis annuntiatur, non esse salutem etiam sub conditione omnibus impetratam, sed tantum, respectu maximæ vocatorum partis, quia se se ingerit & intrudit in cœtum electorum, & ministri nesciunt quinam sint electi. 11. Falsum esse, promiscue ad Christum Salvatorem amplectendum homines vocari, quos vocant Apostoli. 12. Videri tantum promiscuas

ſcuas Apoſtolorum hortationes, non eſſe revera. *Iam quæro ex Cenſore, quid de omnibus iſtis Spanhemii pronuntiatis ſentiat, probet-ne, an improbet? Si poſterius, cur ergo defenſionem ſuſceperit operis in quo tam abſurda & pernicioſa doctrina traditur, quod potius totis viribus impugnare debuerat. Si prius, an poſſit oſtendere hanc eſſe conſtantem Eccleſiarum fœderatæ Belgicæ ſententiam, quam quicunque oppugnet, illarum ſit adverſarius. Ego contra certus ſum, vix unum repertum iri ex centum, qui iis aſſentiatur. Quotidie enim audimus cordatiores è populo, cum ipſis objicitur talia à Doctoribus ſuis tradi, reſpondere, Dicant quicquid volent, nobis nunquam perſuadebunt.*

Nihil etiam ineptius eſt, hac Cenſoris argumentatione; Blondellus Apologiæ Dallæi prologum præfixit, Ergo in gratiam Remonſtrantium, molitus eſt everſionem doctrinæ publicæ. Dallæum enim non eſſe Remonſtrantem,

nec ipsorum partibus favere, clamat passim ejus Apologia, in qua licet moderatiorem nostro Censore se ostendat, satis tamen acerbe, imo & hostiliter, adversus eos se gerit. quod utinam magno viro non accidisset, & non tam multum perversæ interpretationi Dordracenorum, ut fecit, in judicando de nostra mente detulisset! Nec Remonstrantes unquam tam immane propositum animo conceperunt. Absit. Cupierunt solùm emendari in doctrina, quam nonnulli publice docebant, ea quæ Sacris literis minus erant consentanea, & infirmis offendiculum præbebant. Quomodo ergo Blondellus in ipsorum gratiam molitus esset quod minime probant? Apologiæ isti, fateor, prologum (ut vocat Censor) galeatum præfixit, quia munimine ad inimicorum ictus sustinendum indigere prævidebat. Quid peccavit in eo? Duæ Protestantium Galliæ Synodi nationales, Alensonensis anno 1637, & Carentonensis anno 1644 celebra-

tæ,

tæ, doctrinam illa contentam damnare noluerant. Ergo licuit defendere contra eos qui, à Synodorum istarum moderatione recedentes, damnare præsumebant. Prodigiosum est quosdam tam asperæ indolis inveniri, ut ad prædicationem bonitatis & misericordiæ Dei erga universum genus humanum excandescant. Detriverit idcirco aliquid Blondellus de sua existimatione apud ejusmodi homines; parva est jactura, & quam flocci faceret si viveret. at nomen ejus benedictum erit apud alios humaniores, quorum oculus non est nequam quod Deus sit bonus. Matth. 20. 15.

Pergamus: Quandoque, *inquit*, *Censor*, auditus est Blondellus, & à me ipso, dicens Amsterodami, Synodum Dordracenam plura definisse quam debuisset. *Ridiculum caput, qui istud, tanquam grave quippiam, & tanta cum asseveratione, Blondello objiciat. Audebit-ne ergo dicere, omnia quæ in illa Synodo definita sunt, es-* Disput. 3. Th. 16.

se necessaria? Si non sint, cur non liceat optare ut illa indecisa reliquisset, quorum decisiones rixas pariunt in Ecclesia, & impediunt ne ejus Schismata coalescant? Nec alia hîc fuit mens Blondello, (si forte tale quid unquam dixit) quam Synodo nationali Protestantium Galliæ, Carentonæ, A. D. 1623 celebratæ, quæ de Dordracena ita magnifice sensisse non videtur. Primo enim abrogavit decretum de jurando in ejus verba, quod Deputati ad Synodum Alezianam ausu privato cuderant, nulla à Synodis provincialibus, quæ ipsos miserant, accepta id faciendi potestate. Deinde cùm Synodi Dordracenæ Iudicium curaret recudi, solos Canones affirmativos pro suis amplexa est; negativos vero non agnovit; quod nesciret, (ut audivi referentes qui interfuerant) an sententia Remonstrantium, in illis rejecta, fideliter expressa esset, nec-ne. Quod fuit satis aperte profiteri, Synodum Dordracenam plura definivisse quam debuisset,

buiſſet, aut neceſſe foret. Et quis jure poſſit iſtud negare, cum nulla ante ipſam, ab annis plus mille ducentis, quibus de Prædeſtinatione diſputari inter Chriſtianos cœptum eſt, tam multa de hoc argumento ſanciverit? Præterea cum Proteſtantes de multitudine Canonum Concilii Tridentini graviter ſint conqueſti, quod iſtud potius ad augendas quam ad minuendas lites faceret, quomodo ii qui ſincere & abſque partium ſtudio judicant, probarent quod Synodus Dordracena in eundem lapidem impegit?

Alii ad animum revocabant liberiores quaſdam voces ipſius in ſententiam Auguſtini, & Synodum Dordracenam. *Quid mirum foret, ſi homo liber, & nullum ſupremum in fidei negotio magiſtrum præter Dominum Ieſum Chriſtum agnoſcens, liberius aliquid de hominibus ſui ſimilibus, & errori pariter obnoxiis, dixiſſet? an ideo meruiſſet tanquam hete-*

rodoxus, & de fide Christiana male sentiens, publice exagitari? Oblitusne est Censor, præcepti Apostoli, di-
1. Cor. 7. 23. *centis,* Nolite fieri servi hominum? *Quamquam ego scio ipsum de B. Augustino non nisi reverenter loqui solitum. Ipsi quidem fidem suam non mancipavit, quod etiam non debebat, cum*
1. Thess. 5. 21. *ex Pauli mandato obligemur* omnia probare, *& id solum* quod bonum est retinere. *Sed in eo nihil ab Augu-*
* Prol. lib. 3. de Trin. *stini mente alienum fecit.* * Noli, *inquit ille,* meis literis, quasi Canonicis Scripturis, inservire. Sed in illis, & quod non credebas, cum inveneris, incunctanter crede; in istis autem, quod certum non habebas, nisi certum intellexeris, noli firmum tenere. *Vult-ne aliquid amplius Censor noster Augustini scriptis tribui? Et quod ad Synodum Dordracenam attinet, nunquam ei Blondellus contradixit; tametsi aliquando privatim inter amicos agnoverit, quædam ibi inordinate gesta, quæ sibi displice-*

plicerent. Quod etiam multi ex doctioribus & æquioribus verbi divini in Batavia Ministris non verentur confiteri. Imo fuerunt qui libello supplice D. D. Ordinibus oblato petiverunt, ut aliquot docti & pacis amantes viri convocarentur, qui ejus Iudicium reviderent, & quædam incommodius dicta corrigerent. Quod forte esset factum, nisi nonnulli qui in illa fabula præcipuas partes egerant, obstitissent. Certe quomodo procedendi modus in ea observatus excusari possit, non video. Nam cum plerique eorum ex quibus constabat, & omnia illic pro arbitrio gesserunt, aperti Remonstrantium essent adversarii, qui eos antea in privatis suis conventiculis damnaverant, & separatas Ecclesias erexerant, judicium tamen de ipsis, contra omnia divina & humana jura, quæ vetant ne pars adversa judex sit, & qui jam judicavit, iterum eadem de re sententiam ferat, usurparunt; &, ne quid iniquitati deesset, ad legi-

legitimam sui defensionem admittere recusarunt, inauditosque condemnarunt. Vt multa alia, quorum Acta *&* Nullitates *ab ipsis in lucem editæ mentionem faciunt, intacta nunc relinquam. Qua de re expediet audire Lud. Molinæi, acerbi Remonstrantium adversarii, testimonium. Is in Parænesi sua nuper adversus M. Amyraldum edita, cap.23. inquit:* Interim non gravabor affirmare, authoritatem Synodi Dordracenæ humanam fuisse; tum patres Dordracenos non sedisse medios dubiosque partibus, ut æquum est in omni judicio, sed judices & partes fuisse, unique parti addictos; ac proinde non potuisse Arminianos non cadere causa coram eorum tribunali, non quia causâ, sed quia numero inferiores essent; procul dubio perinde à patribus profligandos, si secundum hos veritas stetisset. Quocirca causæ non deerant cur Arminiani se tuerentur exceptione fori, ea-

dem

dem reponentes quæ Carolus Molinæus, & recognitores Concilii Tridentini : quæ ſane omnium Conciliorum authoritatem ex æquo infirmant & elevant. 1. Iniquum eſt, ſubmittere ſe judicio partis adverſæ. Ideo Athanaſius diſceſſit ex Concilio convocato in Tyro à Conſtantino, quod animadverteret præcipuos Concilii viros judicis & partis munere functuros. 2. Nec minus iniquum eſt ut ſocii partium litigantium in judicio ſedeant : nam id abhorret ab omni ratione judicii & fori. 3. Æquum fuiſſet in Synodo Dordracena ut pars alterutra cujuſquam non ſubiiſſet judicium, quem ſaltem communi conſenſu partium litigantium non elegiſſet, aut cauſæ ſuæ, religioni, aut perſonæ adverſum noviſſet. Vnde magna æquitate reges Galliæ reformatis conceſſerunt Cameram quam vocant Edicti, in quâ Reformati cauſa judicatur. *Hæc ſunt adeo æqua, ut ab ipſa æqui-*

tate

tate dictata videantur. Et potuisset Blondellus similia absque justæ reprehensionis merito proferre. non fecit; nihilominus Censori vapulat; nempe quia odium ipsum excæcavit, ut putet se videre quæ nusquam sunt.

Alii observabant intimam illam & jugem quam cum D. Curcellæo familiaritatem coluit, ex quo vixit in Belgio. *Censor adjicere debebat, quinam isti essent tam curiosi rerum ad se nihil pertinentium observatores. Principem inter eos locum procul du-*
Sap. 2. *bio tenuit* Diabolus, cujus invidia mors introivit in orbem terrarum. *Nihil enim illi magis displicet quam bonos videre concordes. Secundum vero* omnes qui sunt ex parte illius. *Nam imitantur patrem suum, & ipsis*
Prov. 6. *non exigua est voluptas cum* discordias inter fratres seminare *possunt. Sed qui factum est, quod hi πολυπράγμονες non observarint quoque eam quæ mihi cum Blondelli antecessore, optimo & humanissimo Gerardo Ioannis Vossio,*

omnis

omnis literaturæ promo condo, familiaritas olim intercessit, & ipsi crimini verterunt? Singulari felicitati deputandum est, quod tam malignos oculos fallere potuimus. Habeo etiam hîc quod mihi non parum gratuler, nullos fuisse ejusmodi corycæos in Remonstrantium grege, qui me proditæ Contraremonstrantibus causæ nostræ suspectum redderent. Sic enim familiaritas ista utrique nostrum detrimentosa fuisset. Apage suspiciosos alienarum amicitiarum observatores, Timonas μισανθρώπους, *civilis societatis pestes, & dignos qui ultra Garamantas & Indos relegentur! Iam sunt quadraginta sex anni, ex quo cum duobus natu majoribus D. Blondelli fratribus, Mose & Aarone, doctis & fidelibus quamdiu vixerunt Evangelii præconibus, amicitiam contraxi, & tribus aut quatuor annis post cum ipso; quæ inviolata hucusque perduravit, & multis utrimque officiis, quotiescumque obtulerunt se occasiones, corroborata*

rata fuit, etiam per longum illud temporis ſpatium quo ab invicem divulſi fuimus, ipſo in Gallia, me in Belgio degente; ſed renovata, cùm ſeptem ab hinc annis venit Amſteldamum, ut hiſtoriam Eccleſiaſticam in Illuſtri ejus Schola doceret. Ad quod munus obtinendum quantum ipſi inſervierim, honeſtius forſan eſſet ab alio quam à me commemorari: ſed quia me Cenſoris cogit iniquitas, (qui Blondello exprobrat amicitiam quam mecum coluit, quaſi videlicet ea indignus fuiſſem) non poſſum quin uno ſaltem aut altero verbo attingam. Cum poſt obitum modo nominati D. Voßii de Profeſſore in ejus locum ſurrogando ageretur, & varii à variis proponerentur, Blondellum Ampliſſimis hujus civitatis Conſulibus commendavi ab excellenti doctrina, et morum integritate atque ſuavitate; qui tantum fidei detulerunt meo teſtimonio, etiam ſupra alia in ejus gratiam perhibita, ut mihi à quibuſdam illorum relatum

eſt,

*est, ut mox vocare statuerent, & me
pario ad istam rem uti dignarentur, mandantes ut suo nomine ad ipsum scriberem, & ad amplectendam quæ offerebatur professionem cohortarer. Quod etiam præstiti. Prætereo alia officia quæ circa illud tempus, & vocationis istius occasione ei exhibui, propter quæ se mihi valde devinctum, non semel & coram multis fateri non erubuit. Accidit circiter biennio pòst ut oculis orbaretur, & magis quam unquam antea solatio & opera amicorum indigeret. Ei ergo in calamitoso illo statu frequenter, quantum muneris mei occupationes, & domiciliorum nostrorum distantia sinebant, adesse studui, nec passus unquam sum, cum licuit, ipsum opem meam desiderare. Istud est quod rodit Censor; sed quam honeste, judicent omnes in quorum corde vel scintilla humanitatis superest. Certe id tam alienum est à nostræ gentis Francicæ moribus, ut eos, vertendo solum, non modo exuisse, sed*

etiam plane ejuraſſe videatur. Dolet, ut credo, quod Blondellum aſperitatis ſuæ ſocium non habuerit. Nam ipſe ſtatim atque me in materia Prædeſtinationis à ſe diverſum ſentire comperit, amicitiæ noſtræ renunciavit; Blondellus vero conſtans in ea perſeveravit. Vnde iſte, araneæ inſtar, quæ etiam ex floribus venenum haurit, calumniandi anſam arripit. Iactat quidem, diſſenſum illum non obſtitiſſe quo minus ſæpe comiter nos invicem exceperimus. *Sed ſi ita ſe res habet, cur in alio criminatur quod ipſe facit? Verum id procul abeſt à vero. Primum enim illud* ſæpe *factum dici non debet, quod* bis *tantum accidit, & quidem fortuito occurſu, in ædibus alienis, aut in platea. Nam quamvis pluries Amſteldamum venerit, ubi novit me habitare, nunquam de me (ut de veteri amico fieri ſolet) inquiſivit, aut ad ædes meas acceſſit. Deinde cum caſu quodam alter in alterum incidiſſemus, & ego exporrecta fronte in ejus am-*

amplexum ruerem, ita non ſolum frigide, ſed etiam ſuperciliosſe, ab eo ſum exceptus, ut maluiſſem non vidiſſe. Sed quid opus eſt multis? quam benevolo erga me nunc ſit animo, id unum ſufficienter oſtendit, quod me ab alio dilectum fuiſſe ægre fert, & conqueritur. Non ita erga me ſe geſſit D. Andreas Rivetus. Is me ſemel tantum in Gallia, A. D. 1620, ad horæ ſpatium, Fontisbellautii viderat. Sed ſeptemdecim aut octodecim annis poſt, mei adhuc memor, cum audiviſſet me in Hollandia degere, primus de valetudine mea inquiſivit, & pluries me ſuo nomine ſalutari juſſit. Deinde occaſione meorum & ipſius itinerum amice admodum Hagæ Comitis & Amſteldami una confabulati ſumus; tantaque inter nos contracta eſt ex iſtis colloquiis familiaritas, ut deinceps crebras literas, per octo aut novem annos, uſque ad ipſius obitum, invicem commutaverimus. Et cum ad me, teſtandæ benevolentiæ ergo, ſubinde

dono mitteret libros quos in lucem edebat, non offensus est mea παῤῥησία, qua comiter indicabam quid in iis desiderarem. Quin etiam D. Episcopium, prædecessorem meum, cum quo nulla ipsi notitia fuerat, audivi beneficium ejus erga se non spernendum aliquando prædicantem. Rivetus tamen, ut norunt omnes, Remonstrantium causæ non favebat; sed, ut vir erat cultioris ingenii, sciebat dissensum de aliquo religionis capite, civilitatis & humanitatis officia, quibus etiam erga Turcas & Paganos obstricti sumus, (quanto magis erga Christianos?) impedire non debere. Cum Censor, qui amicus antea atque familiaris, & ne verbo quidem unquam à me læsus fuit, adeo aversum à me animum ostendat, ut vix possit magis, Blondellum idcirco publice accusans, quod consortium meum non refugerit. Istud est specimen zeli barbari, quem nonnulli religionis puræ, ut vocant, prætextu, velant & defendunt. Attamen ea nihil

nihil est impurius. nam charitatem fraternam extinguit, quæ illius est anima, & unde, tanquam ex infallibili teßera, D. Iesus discipulos suos agnitum iri Ioh. 13. 34.
dixit. Proinde melius in eam quadrat 35.
Lucretianum elogium:

Religio peperit scelerosa atque
impia facta.

Qua de re non possum quin ascribam hîc Balzaci scriptoris inter Gallos elegantissimi locum: Il y a un certain zele furieux, qui ne se contente pas de destruire l'amitié, mais ruine encore le commerce; qui ne viole pas seulement la societé civile, & le droit des gens, mais aussi la commune humanité, & les loix de la nature. Les personnes transportées d'une si aveugle passion, pensent que deux hommes de differente creance, sont de differente espece; & que Dieu n'a pas fait à son image, ceux qui ne sont pas de leur opinion. *Inde ortum est illud tam immane Iudæorum in alias gentes odium, ut sibi ab iis*

 nequi-

Ioan. 4. 9. *nequidem* aquæ cyathum *in necessitate præberi vellent. Et inhumanitas illa quam merito exagitat Satyricus, licet falso disciplinæ Mosis attribuat:*

Non monstrare vias eadem nisi sacra colenti,
Quæsitum ad fontem solos deducere verpos.

A quo nostrum Censorem non esse valde alienum, ostendunt scripta ejus polemica, quæ penna felle & aceto tincta videntur exarata esse; adeo acerbe in eos qui à se, etiam in minimis, dissident, ubique invehitur. Vnde adversus seipsum sententiam fert, & lectores irridet, cum Epicrisin suam, amarulentis convitiis in fratres conspersam, hoc vulgari disticho claudit:

Dissentire bonos etiam de rebus iisdem
Incolumi licuit semper amicitia.

Nam quomodo sperat amicitiam manere posse incolumem, quam ipse primus ultro abrumpit, & quasi pedibus conculcat?

Supra

Supra reliquos vero omnes acerbitatem ſuam exſerit in Remonſtrantes, quos paſſim in Syſtemate ſuo Theologico, & in Exegeſi Confeſſionis Belgicæ, ſive data, ſive quæſita occaſione inſectatur. Cujus unum aut alterum exemplum afferam, unde id eluceſcat. Monſtra *opinionum nobis audet objicere.* Syſtem. pag. 552. *Quamvis alii harum regionum Doctores reformati iſtud tantum in nobis culpent,* quod ſententiæ noſtræ nimis bene cum ratione humana conveniat: *quod eſt eam ab omni monſtroſitate purgare. Et in eo gloriamur, quod nihil abſurdi nobis objici poſſit. Sic enim certi ſumus nullum nos præbituros offendiculum infidelibus & Deiſtis, quibus nunc mundus ubique ſcatet, quominus religionem Chriſtianam amplectantur; ut illi faciunt qui ſuis paradoxis, cum ratione & Scriptura pugnantibus, eam apud ejuſmodi homines ſuſpectam reddunt. Qui deberent metuere illud* væ, *quod Chriſtus denunciat iis* per quos ſcandala eveniunt. Matth. 18. 7.

niunt. *Tale est id quod Censor in Epicrisi sua defendit; nempe, Deum nolle omnes homines salvari, sed maximam eorum partem propter Adami peccatum, cujus ipse veniam obtinuit, absoluto & irrevocabili decreto ab omni salutari gratia ante mundum conditum exclusisse & reprobasse, ita ut nihil aliud nisi peccare queant; & propter ista peccata, viribus humanis prorsus inevitabilia, ad æternos inferorum cruciatus prædestinasse. Proinde noluisse ut Christus, (cujus mors plus quam sufficiens est ad expianda totius mundi peccata,) se pro illis redemptionis pretium offerret. Et tamen quosdam eorum curare sub benevolentiæ specie ad salutem invitari per Euangelium, & præcipere ut in Christum pro se mortuum credant; eo fine ut vocationem istam rejiciendo, (quam non possunt non rejicere, propter insanabilem cordis pravitatem cum qua Deus eos nasci voluit) gravius in se judicium accersant. Quamvis ita durius*

rius tractentur ipsis Dæmonibus, quibus Deus non illudit spe gratiæ in quam eos recipere nolit; & qui non alieni peccati, sed suorum tantum, quæ in propriis personis scientes & volentes admiserunt, pœnas in die ultimi judicii luent. Hæc est illa Helena, quæ tam formosa visa est antea D. Spanhemio, & nunc D. Maresio, ut propter eam bellum ἄσπονδον adversus D.D. Amyraldum & Dallæum susceperint. Sed ab aliis habetur pro fœda Empusa; adeo ut Deistæ deformitate ejus territi, propterea à Sacris literis abhorreant. Nam cum obiter tantum eas attigerint, veluti Nilum canis fugiens, & sensum non capiant, fidem sequuntur Doctorum, qui ibi tradi asseverant, & absurda interpretum commenta ipsis causa sunt exitii.

Monstrum aliud, de quo hactenus ne fando quidem quicquam audieram, primum in illo Systemate vidi atque exhorrui. Ibi inter Christianæ religionis hostes & irrisores collocat eos Systém. Theol. pag. 600.

qui putant, Vacuum dari in rerum natura: *ex quæstione mere Philosophica, de qua probabiliter in utramque partem disputatur, Theologicam, & quidem ad salutem summe necessariam creditu faciens. Si ergo iste homo audiatur, vacui assertores posthac hæreticis accensendi erunt, & ipsis, ut multis in locis fieri solet, aqua & igni interdicendum. Sed, nisi fallor, tam inclemens opinionis innoxiæ damnatio vacuum aliquod, si non alibi, saltem in Censoris cerebro esse, valde verisimiliter probat. De dogmate ipso* ἐπέχω, *& Philosophis intelligentibus in hanc aut illam partem, pro ut rationum pondera suadebunt, decidendum relinquo, dummodo inter fidei capita non referatur, quod intolerabile est. Pari temeritate Libertus Fromondus, Lovaniensis ante paucos annos Professor, præsumsit hæreseos damnare eos qui* continuum esse in infinitum divisibile *inficiantur; quasi & hoc esset dogma fidei, à quo salus æter-*

æterna pendeat. Sed non credo multos, aut in Ecclesia Romana, aut in Reformata, Theologos, tam apertæ insaniæ astipulantes inventum iri.

Quam inverecunde etiam Censor objicit alibi Remonstrantibus, quod Confessionem Belgicam canino dente admordeant? *Ergo ipse pro canibus nos habet; & ei convenit quod paulo ante Balzacum dicentem audiebamus,* Eos quorum mentes furiosus religionis zelus transversas agit, existimare duos homines diversum de fide sentientes, diversæ esse speciei; & Deum ad imaginem suam non condidisse homines, qui idem cum ipsis non credunt. *Cogitavit-ne cum hæc scriberet de eo quod Dominus Iesus tam graviter pronunciavit?* Qui dixerit fratri suo, raca, reus erit concilio: qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis. *Item,* Dico vobis quoniam omne verbum otiosum, quod loquuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii. *Si Remon-*

Præfat. Exeges. pag. 12.

Matth. 5. 22. & 12. 36.

stran-

ſtrantes aſperiore aliqua Confeſſionis reprehenſione occaſionem dediſſent ita retaliandi, excuſabilis forte eſſet. Sed nihil tale proferre poteſt. Illic in examen vocat Conſiderationes quas nonnulli eorum juſſu Ordinum Hollandiæ in Confeſſionem & Catechiſmum olim ſcripſerunt, ut ad eas quantum æquitas poſtularet attenderetur in reviſione quæ fieri debebat in Synodo nationali. Sicut titulus eſt modeſtiſſimus, ita in tota contextura ne vox quidem una occurrit quæ æquo lectori bilem movere queat. Inſpiciant qui volent, & rem ita ut dico ſe habere comperient. Excuſæ ſunt una cum Actis & Scriptis Remonſtrantium Synodalibus. Sed video quid rei ſit. Cenſori ingens eſt crimen quod aliquid in libellis iſtis deſideremus, & eos pro fidei norma nobis obtrudi non patiamur, ſed, ut reliqua omnia ſcripta humana, ad S. Scripturæ lapiden lydium exploranda eſſe contendamus.

Prætero convitia quæ in me jacit,

ne privatam causam agere videar. Non sum Arminiano-Socinianorum primipilus, *ut me vocat, sed Christi miles, qui pro fide omnibus sanctis communi sub ejus vexillo decerto: nec doctrinam quam in Remonstrantium Schola auditoribus meis trado, ex Arminio aut Socino hausi, sed ex sacris veteris & novi Testamenti tabulis; ut pluribus, si locus pateretur, ostendere possem. Nec immorabor etiam in eo quod dicit, Dallæi Apologiam* me annitente & procurante in lucem exjisse: *quamvis fallatur, & nimis temere incerto rumori crediderit. Tradita enim fuerat in manus typographi qui excudit, antequam de ea quicquam audivissem. Sed fateor me postea* ἐργοδιώκτην * *accessisse, & nonnihil editionem promovisse. Nunc ad Blondellum redeamus.*

* instigatorem.

Commemorabant *(inquit Censor)* quod olim discipulus Tileni, non solum in sententia de justificatione, sed etiam forte in aliis, diu suspe-

ctus

ctus fuerit occultæ propensionis ad Remonstrantium partes. *Verum est: doctissimi Tileni, in Schola Sedanensi Professoris, discipulus fuit Blondellus, una cum plurimis aliis per universam Galliam, Germaniam, Belgium, Ecclesiarum Pastoribus; quibus nunquam hactenus audivi versum fuisse vitio, quod sub tam eximio præceptore studii Theologici tirocinium posuissent. Sed* in eadem fuit cum ipso sententia de Iustificatione. *Istud solus Censor affirmat, cui credere nemo est obligatus. Nunquam ipsi in ulla Synodo objectum fuit; nec verba unquam, quod meminerim, de ista quæstione mecum privatim fecit. Sed fac Tileno assensum præbuisse. Quid peccavisset? Nonne in Catechismo Heidelbergensi, quem Ecclesiæ reformatæ Belgii pro norma unionis recipiunt, aperte traditur? Nonne Henricus Altingius, Censoris in Academia Groningana prædecessor, eam in Explicatione sua, ad Quæst.* LX, *propugnat? Cur Blondellus*

dellus erit reus ex mera suspicione, cum Altingius non sit ex clara & aperta in scriptis suis confessione? Quæ tanti inter utrumque virum discrimimis potest reddi ratio? Atqui opinio ista in Vapincensi Synodo fuit olim damnata. *Fateor; sed cum nondum bene esset intellecta. Duodecim aut circiter annis post, Synodus Toninensis in Aquitania ita eam commode explicavit, ut omnes, etiam qui diversum antea senserant, judicio ejus acquiescerent. Et ab eo tempore, idest plus quam quadraginta annis, nulla fuit super isto capite in Ecclesiis Protestantibus Galliæ controversia. Sed irrequietus Censoris animus libenter veterem istam litem, quæ inter Molinæum & Tilenum olim fuit, renovatam nunc videret. Nam quem alium in finem hæc ex hominum memoria propemodum deleta jam refricat? Quam mirus est autem, cum dicit Blondellum,* forte diu suspectum fuisse? *Quid enim istud est, nisi accusare eum quod*

fuerit

fuerit suspectus, & simul fateri se ignorare an suspectus fuerit? Vnde apparet quam iste homo ad suspiciones sit pronus, qui eas fingit, ubi nescit an unquam fuerint, contra charitatis ge-
1. Cor. 13. *nium, de qua dicit Apostolus*, omnia tegit, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. *Sed ad rem ipsam quod attinet; cum Blondellus tanta in existimatione apud fratres suos in Gallia fuerit, ut ejus tempore nullus Pastorum in majore, quemadmodum testantur Acta Synodorum Nationalium & Provincialium, & officia egregia ad quæ ab utrisque est adhibitus, præcipueque Professoris honorarii titulus & stipendium, quo ultimæ Synodo Nationali remunerari ejus labores placuit; evidens est, non fuisse ipsi suspectum propensionis occultæ ad Remonstrantium partes: vel, si suspectus fuerit, nihilo propterea habitum esse muneribus suis, aut illorum amore indigniorem. Eligat Censor utrum volet, id mihi æque utile, ipsi vero adversum erit.*

Com-

Commemorabant etiam veterem quæ illi intercedebat cum Rev. Molinæo ſimultatem. *Iſtud quoque improba tantum ſuſpicione nititur. Nihil enim de tali ſimultate innotuiſſe D. Molinæo, probare poſſum ex amiciſſimis literis, quas ad Blondellum ſcripſit paulo ante quam in Hollandiam veniret. Sed fac aliquam inter eos æmulationem fuiſſe, ut inter doctos, eadem tractantes ſtudia, non raro contingit; maligne ei ſimultatis nomen imponitur,* (ἀγαθὴ δ᾽ ἔρις ἥδε βροτοῖσι *) *cum ad excitandam utriusque diligentiam inſervierit, & magna inde ad publicum redundare utilitas potuerit. At lippis & tonſoribus notum eſt, Cenſorem, quo tempore Sedani habitabat, cum D. Molinæo apertas inimicitias geſſiſſe. Cauſas earum recenſerem, & quousque proruperint, niſi honeſtius foret privata hæc, tempore, ut puto, ſopita diſſimulari. Quomodo ergo feſtucam in fratris oculo videt, & trabem in ſuo non animadvertit?*

* bona hæc contentio mortalibus.

Alii indignabantur, quod justo profundius se immiscuisset negotiis reipublicæ, in qua erat recentior hospes. *Etiam-ne hæc pertinent ad controversiam de gratia universali, cujus occasione totam istam accusationem suscepisse videbatur? Sed non potuit dissimulare alteram odii sui in Blondellum causam; hanc nimirum, quod in* Considerationibus super bello Anglicano, *partes, quas Censor in republica fovet, & aliis prævalere cupit, tam validis argumentis impugnarit, ut ad ea nihil cum specie reponere posset. Sed nihil fecisse Blondellum à boni civis & grati hospitis officio alienum, id ostendit, quod antequam se ad scribendum accingeret, Illustres Hollandiæ Ordines, sub quorum ditione vivebat, eam, cujus patrocinium suscepit, causam jam decreto suo probarant; & postea iterum, peculiari libro de illa edito, coram toto mundo asseruerunt. Mira est ergo hominis istius imprudentia, quem odium*

odium in fratrem ita transversum egit, ut non dubitet talia ipsi, & quidem majore quam cætera cum animi commotione, objiciendo, hostilem suum adversus Hollandiæ Ordines affectum patefacere. Scilicet hæc est via qua ad Lugdunensem Cathedram, cui ipsum jamdudum inhiare fertur, se perventurum præsumit.

Alii quiritabantur de Iohannæ Papissæ historia per ipsum sugillata, & in fabulam commutata, non sine offensione omnium Protestantium. *Fateor epitomen Gallicam hujus* Ανασκευῆς, *quæ decem ab hinc annis lucem conspexit, varia omnis hominum generis præsertim inter Protestantes, judicia subivisse. Non defuerunt enim, qui, audito solum ejus argumento, damnatoriam confestim sententiam ferrent; indignati quod materia sibi eriperetur Romano-Catholicis posthac insultandi, & mulierem Romæ Pontificiam sedem aliquando tenuisse objiciendi. Minati sunt*

*etiam aliqui, non impune laturum Auctorem, quod paßim receptam opiniorem lacessere ausus esset, brevique fœda quæ adversus historiæ veritatem admiserat παροράματα * ad oculum ipsi demonstratum iri. Sed parturierunt montes, & nondum natus est vel ridiculus mus: forteque commentationes illæ, velut olim Augusti Ajax, in spongiam incubuerunt. Prætereo illos, quos non puduit jactare, Blondellum in fabulam transformare molitum esse, quod certa plurium historicorum fides de Iohanna prodidit, ut Pontifici Romano gratificaretur, & ab eo pingue aliquod Beneficium extorqueret. Malignam enim istam suspicionem, scriptum, unde calumniandi ansam arripuerunt, plane jugulat; in quo tantum abest ut partium illarum gratiam ambiverit, ut contra multis in locis acriter eas pungere non dubitarit. Adde quod isto tempore, quo in fabulæ de Papissa confutatione erat occupatus, doctum illud & laboriosum*

* hallucinationes.

riosum opus, de Primatu in Ecclesia, *sub typographi Genevensis prælo sudabat: adeo ut mentis non satis sanæ oportuisset esse nostrum Blondellum, si, cum lethale Pontifici Romano vulnus infligebat, putasset se, exiguæ in facie maculæ abstersione, officium quodpiam insigne ipsi præstare, quo gratiam ejus demereretur. Alii erga Auctorem & opus paulo æquiores, fatentur quidem ipsum tam efficacibus opinionem vulgarem argumentis impugnasse, ut non videant quid ad illa reponi cum specie possit: sed tamen ajunt non debuisse otio suo & eruditione abuti, in confutanda fabula quam pro vera historia haberi Protestantium intersit. Præstitisse sordes suas Pontificiis eluendas relinquere: indignos enim esse quibus nostri operam ea in re suam commodent; cum Lutherum, Zuinglium, Calvinum, aliosque Protestantium Doctores, soleant atrocibus convitiis proscindere, quibus illorum memoriam, quantum in*

se est, toti mundo odiosam reddant. Sed hæc ratio ipsi non est tanti visa, ut propterea deberet amico, quid de celebri ista quæstione sentiret percontanti, mentem suam occultare. Et cum ad ejus examen accessit, nihil minus cogitavit quam scriptum quod elaborabat aliquando publici juris facere: ideoque ultra novem annos apud se pressit. Sed tandem pertinacibus amicorum efflagitationibus, dictitantium non ingratam ejus lectionem fore historiæ Ecclesiasticæ studiosis, expugnari animum suum passus est. Non quod peccaturus quidquam fuisset, si proprio motu, & à nemine rogatus, ipsum conscripsisset, & statim in lucem emisisset. Quid enim obstabat quominus veritatem, de qua multis evidentibus documentis persuasus erat, publice & coram toto mundo profiteretur? An quod expediat Protestantibus ut fabula Papissæ vera esse credatur? Sed quis controversiarum nostrarum paulo intelligentior, istud ausit asserere?

rere? Sane illi de religione ſua parum honorifice ſentiunt, qui mendacium ad ejus defenſionem aliquid emolumenti afferre poſſe exiſtimant. Non poterimus quidem Eccleſiæ Romanæ objicere, fœminam olim Summi Pontificis ſedem occupaſſe. Sed iſta-ne res eſt tanti, ut quemquam idcirco vadimonium deſerere oporteat? Num deerunt ergo ſatis momentoſæ rationes, quibus ſeceſſionis noſtræ neceſſitatem defendamus? Non licebit nobis amplius conqueri de uſurpata à Pontificibus poteſtate, quam Chriſtus ipſis non dedit, & de tot inventionibus humanis, quibus religionem Chriſtianam conſpurcarunt?

Quin etiam magnorum inter Proteſtantes virorum exemplo Blondellus ſe potuit tueri, qui animadvertentes Romanos Pontifices falſorum criminum inſimulari, eorum ſponte ſuſceperunt patrocinium. Sylveſtrum II, *qui ad Pontificatum pervenit A. D.* 998, *& eum aliquot menſes ſupra quatuor*

 annos

annos tenuit, multi qui circa illa tempora vixerunt Scriptores, Diabolicis Magiæ artibus deditum fuisse criminantur; idque vulgo Protestantes nostri tanquam verissimum avide arripiunt. Sed præstantissimus vir Nicolaus Vignerius, in historia sua Ecclesiastica, eum ab isto crimine purgat; etiamsi facile conjicere posset ingenuitatem suam fervidioribus inter illos minime esse placituram. Sed potior ipsi, ut fideli historico, veritas fuit, quam imperitorum aut affectibus servientium querelæ. Marcus Zuerius Boxhornius causam Sylvestri in Historia sua universali diligentius adhuc agit; ubi ipsum insigni ornat elogio, & postquam in rumoris de illo sparsi originem inquisivit, tandem dissertationem suam verbis istis concludit: Hæc vera causa est hujus calumniæ; cui ego posthac fidem haberi nolim ab iis etiam qui diversarum à Sede Romana sunt partium. Mendacia enim nec tegunt, nec vulnerant.

Quod

Quod revocantes ad animum multi alii, etiamſi antea credidiſſent olim Romæ fuiſſe Papam fœminam, tamen lecto Blondelli libello, & rationibus quas affert maturi judicii lance expenſis, non dubitarunt priſtinæ ſententiæ nuntium mittere. Quidam etiam ipſi gratias egerunt, quod ſe ab errore in quo fuerant liberaſſet; & incredibilem ejus in tractando hoc argumento diligentiam admirati, optarunt ut pari cura univerſam hiſtoriam Eccleſiaſticam illuſtraxe, & quas in Cardinalis Baronii Annales jam affectas habebat Animadverſiones, tandem aliquando, Deo ipſi vitam & valetudinem in multos annos prorogante, perficere & in lucem edere poſſet. Inter eos qui lucubrationem iſtam probarunt, primus recenſeri meretur Cl. Boxhornius, qui in modo laudata Hiſtoria univerſali, cum ad tempora veniſſet quibus Papiſſa thronum conſcendiſſe dicitur, & retuliſſet quæ varii Auctores de illa prodiderunt, tandem

ſubjungit: Hæc dum ſub prælo ſunt, prodit, ecce, viri antiquitatis Eccleſiaſticæ peritiſſimi, Davidis Blondelli, liber, in quo de hac controverſia diligenter & accurate agitur, an nempe, Johannes fœmina in Catalogo Pontificum Romanorum, Leonem IV inter, & Benedictum III, locum habere debeat. Hoc autem diſertim negat. Controverſiam iſtam ego hîc meam non faciam; alibi forte & aliàs de ea acturus. Vnum id modo hîc ego pronunciaverim, non deeſſe magni ponderis argumenta iis, qui falſi hanc hiſtoriam arguunt. *Ecce ſatis honorificum & favens de Blondelli ſcripto teſtimonium. Quamvis enim detrectare videatur iſti quæſtioni ſe immiſcere, ejuſque deciſionem in aliud tempus & opus rejiciat, non obſcure tamen oſtendit in quam partem propendeat, præſertim in lemmate marginali, his verbis:* De Iohanne VIII, ſive fabula, ſive hiſtoria. Nam, ut

ut alia jam non dicam, an Athenæ (*ubi Iohanna dicitur literis operam dediſſe*) tunc eædem quæ veteres? quis id affirmare auſit? *Relatum eſt mihi etiam de duobus doctiſſimis & integerrimis viris, Academiæ Helmſtadienſis Profeſſoribus, Georgio Calixto, & Hermanno Conringio, eos Blondelli Diatribæ calculum ſuum adjeciſſe. Nec dubito quin multi quoque alii, de quibus nihil audivi, idem apud ſe ſenſerint, nempe omnes docti, qui ad ejus lectionem animum præjudicio & affectibus vacuum attulerunt.*

Vnde apparet à vero alienum eſſe quod Cenſor objicit, omnes Proteſtantes offenſos iſto Blondelli libello fuiſſe. Si aliquos dixiſſet, largiremur ultro. Nullum enim ea de re eſt dubium. quamquam poſtea examinandum reſtaret, an merito inde offenſam cepiſſent. Nihil enim tam recte dici poteſt, ut omnium palato arrideat, præſertim ſi vitioſo aliquo humore infectum

ſit.

ſit. Sed quod omnes offenſos affirmat, falſiſſimum eſt, & ab eo magna cum temeritate pronunciatur, cum forte vix unius aut alterius è mille ſententiam norit. Ego inter Proteſtantes natus & educatus fui, atque in eorum communione in hunc usque diem perſevero, & hactenus quod vulgo de Iohanna Papiſſa ferebatur verum eſſe opinatus ſum; nec tamen ex Blondelli libello, cum primum prodiit, ullam offenſionem cepi. Sed depoſito omni præjudicio, ut ſerios veritatis indagatores facere oportet, me ad ejus lectionem accinxi, & cum Boxhornio animadverti, non deeſſe magni ponderis argumenta iis qui falſi iſtam hiſtoriam arguunt. *Idem fecerunt plurimi alii, ex Proteſtantium numero, non indocti viri, quorum aliquos novi; à quibus, etſi contraria imbuti eſſent opinione, rationes ejus aſſenſum extorſeruet. Quibus forte acceſſiſſet præceps iſte Cenſor, niſi præter id quo laborabat præjudicium,*

cium, impediiſſet animus Auctori infenſus, & invidia odioque faſcinatus. Et, ſi Deus illum quem ſupra laudavi Nicolaum Vignerium ad hæc usque tempora ſuperſtitem eſſe voluiſset, ut Blondelli opus legeret, nullam etiam inde offenſionem concepiſſet; ſed dubio procul ipſi valde acceptum fuiſſet. Poſtquam enim contrarias recenſuiſſet opiniones, tam aſſerentium fuiſſe aliquem Papam fœminam, quam id negantium, tandem ſic concludit: Eſtant toutesfois la choſe ainſi douteuſe, je ſuivrai pour cette heure le train que tient Onuphrius, attendant que le temps ait plus apertement revelé la verité de ce faict. *Onuphrius autem in Pontificum Romanorum Chronico nullum habet Iohannem Papam fœminam; & in Annotationibus ad Platinam, totum id quod de ea narratur meram fabulam eſſe pertendit. Cum ergo Vignerius, expectans donec tempus hujus facti veritatem apertius revelaſſet, interim cum Onuphrio Iohan-*

hannem istum è Pontificum Catalogo expungat; quid facturus nunc esset, postquam Blondellus, incomparabili sua diligentia, quæsitam veritatem in tanta luce collocavit, ut nemo, nisi sponte oculos claudat, amplius sit, qui illam non animadvertat? Tantum abest ut propterea ipsi succenseret, ut contra potius gratias ageret, quod eum qui restabat in animo scrupulum sibi exemisset. Nec offenderetur etiam magnus Chamerius, è Panstratia sua Catholica per totum orbem Christianum notus, si nunc in vivis esset. Nam cum aliquando à docto viro, verbi Dei Ministro, esset interrogatus, quid sibi de Iohanna Papissa videretur, rotundo ore respondit, fabula est. *Falsò igitur prorsus à Censore dictum est, Blondellum hujus scripti occasione in* omnium Protestantium *offensam incurrisse, cum de multis contrarium constet. Conqueretur forsan, me verba sua nimis ad vivum resecare, quasi igno-*

ignorem omnes *pro* pleriſque *vulgo accipi. Sed neque hæc interpretatio (quam ultro admitto) ipſum excuſabit. Quæram enim, Periti-ne, an vero imperiti, offenſi fuerint? Imperitos, credo, non audebit dicere, cum tales homines ad ſuffragia non debeant, nec ſoleant admitti; & pluris fieri debeat Vignerii, Chamerii, Boxhornii, quam millenorum aliquot è vulgo, judicium. Oportet igitur ut peritos dicat fuiſſe offenſos, ſi quid promovere velit. Sed hîc aqua ipſi hærebit, cum, de nullo id probare poſſit. Nam ſi doctis tantopere diſplicuit iſte liber, qui factum eſt, quod ex magno eorum numero non unus ſaltem in arenam prodierit, & ſe ad eum refutandum accinxerit? Quid facilius erat, ſi bona fuiſſet cauſa? Opuſculum eſt breve, & de trium aut quatuor præcipuorum argumentorum examine tantum agebatur, quibus everſis cætera omnia minutiora corruere neceſſe eſt.*

Cum primum ejus fama ad Cl. Salmaſii,

masii, diffusissimæ eruditionis, ut omnes sciunt, viri, aures pervenisset, excidit ipsi ut parum considerate diceret, Tradatur mihi liber, ego illum uno halitu difflabo. *Quid factum est? Blondellus noster, bonæ causæ confisus, misit ad eum autographum suum, quod unicum habebat; nimirum istud ipsum ex quo typis nunc fuit descriptum; ea lege tradens, ut cum sua responsione, sive ante sive post, curaret ipsum fideliter, absque ulla mutatione, additione aut detractione, excudi. Accepit conditionem Salmasius, & sex annos in potestate sua habuit, usque dum naturæ debitum persolveret. Sed licet esset in scribendo promptissimus, ne lineam quidem unam adversus ipsum exaratam in schedis suis reliquit. Vnde liquet magnum istum virum, scripto Blondelli maturiore cum judicio expenso, agnovisse non ita facile esse refutatu, ut initio opinatus erat; & sententiam, aut universim de quæstione ista mutasse, aut saltem responden-*

ſpondendi propoſitum abjeciſſe. Quamvis etiam D. Andreas Rivetus editum eſſe ægre ferret, ut in ſuis ad me literis non ſemel teſtatus eſt, & valde cuperet reſponſum aliquod, ſive à Salmaſio, ſive ab alio quopiam, ipſi objici; poſtea tamen attentius conſiderans quam ſolidis niteretur fundamentis; dixit, Valde ſe dubitare, an bene ei reſponderi poſſet, & cum lectoris cordati ſatisfactione. *Cum ergo duo tam docti viri, ſolide refutari poſſe deſperarint, quæro jam ex Cenſore, an meritò ejus Auctor, Proteſtantium, ſive omnium, ſive quorundam, idcirco offenſam incurrerit. Nam ſi immerito, non erat cur multum curaret, cum id Prophetis quoque & Apoſtolis acciderit, quorum doctrina multi offenſi fuerunt; & imprudenter valde objicitur, cum potius illi gravi digni ſint reprehenſione, qui veritatem oderunt, & mendacio, unde aliquod ſperant cauſæ ſuæ lucrum, delectantur. Si autem merito; oſtendat illud facto ipſo,*

 ſu-

ſumat calamum in manum, & refutationem aggrediatur. Hic Rhodus, hic ſaltus. Succedat Atlantum iſtorum oneri, & illud humeris ſuis, ſi validi ſatis ſint, ſuſtineat. Commutet ex oppoſito Iohannæ fabulam in hiſtoriam veram, ut nemo poſthac veritatis amans inveniatur, qui non libenter ei aſſenſum præbeat. Sin minus, ne miretur ſi querela ſua ab omnibus, qui aliquid intelligunt, pro mero convitio habeatur.

Sed cur Cenſor, qui ſe adhuc Blondelli amicum vult credi, non dixit etiam ipſum pluribus doctis & accuratis lucubracationibus, & præcipue inſigni illo opere, de Primatu in Eccleſia, *de omnibus Proteſtantibus, imo de toto orbe Chriſtiano, optime meritum fuiſſe? Non opus eſt ad conjecturam recurrere: ratio eſt evidens. Non propoſuerat ſibi Panegyricum Blondello facere, ſed Satyram ſcribere, in qua, ad implacabili odio ſatisfaciendum, omni probrorum genere quæ in mentem*

vene-

venerunt, aut hinc inde corradere potuit, nomen ejus commacularet. Pergamus ad reliqua.

Quiritantur de deserta contra Doctorem Hammond sua ipsius causa, pro sententia Hieronymi de Presbyteris. *Hæc non fuit causa Blondelli privata, sed omnium illarum inter Protestantes Ecclesiarum, quibus Presbyteros æquales Episcopis esse placet. Ad cujus defensionem plurimum contulit in illa docta & accurata Apologia, quam pro sententia Hieronymi scripsit. Et, si aliquid ei addendum superest contra Hammondum, iniqum est à cæco, & continuis pro veritate laboribus exhausto sene, ita id flagitare, ut quasi decoctorem & malæ fidei debitorem incuses, nisi defungatur. Attamen facere proponebat, si diuturnioris vitæ usura ipsi concessa fuisset. Quandoquidem ergo Deo illum in quietem suam recipere placuit, succedant juvenes & ætate integri in ejus labores, & tantum atque ipse*

præstent. Sic abunde causæ isti prospectum erit, adeo ut nemo amplius desertam fuisse quiritari jure possit.

Tandem invectivam suam conclusurus dicit, Conqueruntur quod Dallei Apologiam, quasi μῆλον ἔριδος *, sua commendatione munitam, mox moriturus jactarit in publicum, *&c. Sed quid significant hæ voces,* mox moriturus, & *quem in finem sunt adhibitæ? Ego sane quo propius eas considero, eo magis obstupesco. Nullum enim nisi pessimum, & qui Censoris crudele & immisericors ingenium prodat, sensum inde extundere queo. Voluit-ne innuere Blondellum, statim postquam pomum istud contentionis, ut vocat, in publicum jactavit, à morte raptum, nullam tanti sceleris, turbatæ videlicet Ecclesiæ, pœnitentiam egisse, ac proinde in æternum periisse? Istam quidem consequentiam diserte non elicit; sed cum præmissas habeat unde necessario sequitur, satis liquet quid à lectore non plane stupido ex ver-*

* pomum contentionis.

verbis ſuis colligi optaverit. Paulo apertius egit A. Rivetus, de illuſtri viro Hugone Grotio loquens: ἐμπνέων ἀπειλῆς, * *inquit;* & totus in fermento jacens, imo in felle amaritudinis, videtur ad plures abiiſſe, nullo pœnitentiæ, quod ſciamus, ſigno exhibito, &c. *Vbi nihil aliud ſuperfuit, niſi ut adderet, Actum eſt de ejus ſalute. Licèt ad emolliendum tam inclementem ſententiam, ita concludat:* Sed tamen non judicamus ſervum alienum, qui Domino ſuo ſtetit & cecidit. *Sed quorſum moderationis ſpeciem præ ſe ferre circa conſequens, cum tota difficultas ſit in antecedente? Ego contra, ſi mihi conſtaret, vel Grotium, vel Blondellum, in aliquo gravi delicto ſine pœnitentia obiiſſe, non vererer, etſi dolens, dicere, Damnatus eſt. Non enim ipſe ſententiam ferrem, ſed Deus in verbo ſuo, quod cælo & terra firmius eſt. Sed abſit, ut propter aliquam quæ nobis cum fratre interceſſit litem, in qua forte*

Grot. diſcuſſ. διαλ. pag. 596.

* Spirans minas.

non minus graviter illo peccavimus, judicium de ejus conſcientia, quæ ſoli Deo patet, uſurpemus! Quod ſi alia Cenſoris mens fuit, negare ſaltem non poteſt, quin his vocibus, mox moriturus, *Blondello mortem tanquam aliquid in iſta temporis circumſtantia turpe aut indecens objecerit. Erat-ne igitur adeo fragilitatis humanæ immemor, ut id, cui ipſe obnoxius eſt, alteri exprobrare non erubuerit? Exploratum-ne habet ſuæ hinc migrationis tempus, & quo in opere occupatum mors ipſum ſit deprehenſura? Sed neque tam vicinus, ut putavit Cenſor, erat morti Blondellus, cum Dallæi Apologiam commendavit. Id enim, ſi bene memini, factum ineunte anno* 1654, *cum adhuc animo optime, & corpore mediocriter valeret, & obiit Aprili, anni ſequentis* 1655, *id eſt, quindecim aut circiter menſibus poſt. Nec refert, quod Simeonis verbis, Domine dimitte ſervum tuum in pace, &c. præfationem illam claudit. Conſiderans*

rans enim ſe jam eſſe ætate grandem, cæcum & infirmum, & neminem ſibi quicquam poſſe de craſtino cum certitudine polliceri, ad mortem ſe quotidie parabat. Quod facere debere etiam valentiſſimos juvenes, in confeſſo eſt apud omnes, non ſolum Chriſtianos, ſed & Gentiles, ſecundum poëtæ monitum:

Omnem crede diem tibi diluxiſſe ſupremum, &c.

Quod ideo affero, quia ita ſe res habet; non quaſi reprehenſione dignus futurus eſſet Blondellus, ſi decumbens in lecto, & morti vicinus, præfationem illam dictaſſet; quemadmodum conſtat ipſum tunc Acta *illa* authentica, *ad Eccleſiæ pacem pertinentia, colligere abſolviſſe. Quomodo enim felicius vitam claudere potuiſſet, quam extremas ejus horas curis de Eccleſiæ Chriſtianæ pace & concordia impendendo? cum Chriſtus dicat,* Beati pacifici, quia ipſi filii Dei vocabuntur. *Atqui, ait*

Censor, istud erat μῆλον ἔριδος, *quod jactabat in publicum. Fateor: sed per accidens, eadem ratione qua Euangelium, quod propter improborum contradictionem turbas in mundo multas peperit. Aliàs opus quod Blondellus commendavit, est ad pacem in Ecclesia restituendum accommodatissimum; quæ nulla sperari potest quamdiu dogma absolutæ reprobationis, non tantum ut verum, sed etiam ut necessarium defenditur: cùm Lutheranis, Mennonitis & Remonstrantibus, imo etiam magnæ Reformatorum parti offendiculo sit. Sed cur Acta ista authentica non eodem stigmate notavit Censor, imo plane, quasi à se nunquam essent visa, silentio præteriit? Ratio non est conjectu difficilis. Ea continent omnium Protestantium, atque adeo etiam Ecclesiarum Belgicarum consensum, in dogmatibus illis tolerandis quæ vult supprimere; falsique arguunt quod in Epicriseos titulo jactat, de constanti*

Eccle-

Ecclesiarum istarum in Paradoxis suis asserendis sententia. Ideo Actorum istorum non meminit; alias multa ibi reperturus in quæ genuinum figeret. Cum ergo Censor crederet Blondellum, quem maximum & doctissimum virum fuisse confitetur, opus Dallæi paulo ante obitum commendasse, consultius longe fecisset, si, judicium suum aliquamdiu suspendens, saltem totum prius attente perlegisset, quam refutare aggrederetur. Vulgo enim postrema morientium ejusmodi hominum dicta, pluris fiunt cæteris, quia magis seria esse creduntur. Nec immerito. Plerique enim mortalium toto vitæ tempore personati incedunt, & nihil aliud nisi histrioniam agunt. Sed cum hinc abeundi tempus instare vident, non verentur aperire quod antea corde pressum tenuerant.

Nam veræ voces tum demum pectore ab imo
Ejiciuntur, & eripitur persona, manet res.

Sed neque iſtud apud Cenſorem ullum pondus habuit; neque mors, quæ livori & odio finem imponere ſolet, impediit quominus in fratris famam graſſaretur. Quod eo magis notatu dignum eſt, quia conqueritur Dallæi Apologiam adverſus Spanhemium multis poſt ejus obitum annis in lucem prodiiſſe, in hominem mortuum, qui remordere non poteſt. *Licet longe alia ſit Apologiæ iſtius ratio, & calumniarum quibus Blondellum conſperſit. Nemo cordatus turpe aut illicitum unquam exiſtimavit mortui alicujus auctoris opus refellere, cum viventium id intereſt, & ad veritatis illuſtrationem facit. Sed calumniæ alio fine in mortuum conjici nequeunt, quam ad ſuum odium exſaturandum, quaſi ei in ſepulchro adhuc ægre eſſe poſſet. Quod quam ſtultum ſit cogitare, omnes illi vident quos odium non plane dementavit. Ita Euripides:*

Stobæus Hug. Grotii, pag. 512.

Mors jurgiorum finis eſt mortalibus:

Nam

Nam majus aliud letho quid poteſt dari?
Molem quis autem ſaxeam haſta verberans
Cieat dolorem, mortuumve injuriis
Fruſtra laceſſens, nulla ſenſurum mala?

Lex etiam Solonis fuit, τ̀ τεθνηκότα μὴ κακῶς ἀγορεύειν, mortuo non eſt maledicendum. *Quod ſi pudeat ab Ethnicis diſcere, audiat religioſiſſimum Monachum Iſidorum Peluſiotam.* Et tamen quis non cum mortuo in gratiam redit, ſit licèt barbarus, ſit bellua, ſit exſecrandus Dæmon? Siquidem hujuſmodi ſpectaculum, perquam etiam rigidum & implacabilem hominem frangere & commovere poteſt. Ac propterea cum quis mortuum conſpicit, etiamſi eum teterrimum & infeſtiſſimum hoſtem habuerit, una cum ipſius familiaribus ac neceſſariis collacrymat; adeo omnes communem naturam, Lib. 2. Epiſt. 146

turam, legesque ab ea invectas venerantur.

Sed quorsum hæc, inquiet quispiam, cum Censor tantam erga defunctum benevolentiam profiteatur, ut vix majorem possit? Hæc omnia dici & jactari in D. Blondellum eo ægrius mihi accidit, quod non modo summa mihi cum eo necessitudo, sed etiam satis arctum affinitatis vinculum intercesserit, & meam symbolam promovendæ ejus vocationi in hoc Belgium lubens meritoque contulerim, &c. *Præclara sane verba, & quibus si aliquid inesset veri, immerito violatorum amicitiæ jurium accusaretur. Sed Rhetoricum quod in iis est σχῆμα jam supra deteximus; ideo ab ipso adhibitum, quia honestius esse existimavit simultatem suam sub alieni nominis larva occultare, quam se aperte pro inimico gerere ejus quem vivum coluisse vult videri. Sic credidit se fucum facere posse simplicioribus, & illis persuadere animum sibi*

odio vacuum eſſe. Quod tamen ex his quæ commemorat non liquet, cum res contrarium teſtetur. De affinitate ſatis remota aſſentior; nec aliquando ipſi cum Blondello neceſſitudinem interceſſiſſe nego. Quin etiam fieri poteſt ut exiguam aliquam ſymbolam promovendæ ejus Amſteldamum vocationi contulerit; quamquam iſtud ex ſolius Cenſoris teſtimonio credere non eſt tutum. Quidam enim eam, tam viva voce quam literis, gratulati ſunt ipſi, & ſe valde adjuviſſe jactarunt, quos mhi compertum eſt manibus pedibuſque adnixos eſſe ne effectum ſortiretur. An ex eorum numero ſit, Deus & ejus conſcientia norunt. Id unum nunc omnium oculis patet, tot probra in immerentem congeſta, proficiſci ab homine, qui, ſi vires voluntati pares eſſent, & Blondellus hodie viveret, ipſum libentiſſime ex eo quod adeptus erat munere deturbaret. Sed plane falſum eſt Cenſorem ægre tuliſſe hæc in eum dici & jactari; cum

eorum

eorum ipse præcipuus sit auctor. Fac enim omnia non esse commentum, saltem ex ore malevolorum avide excepit, & quaquaversum per Europam disseminavit. Quis enim ea scivißet in Gallia, in Anglia, in Germania, imo etiam in plerisque Belgii locis, nisi Censoris cura nimium sedula fuissent in fasciculum collecta, & in publicum missa? Quemadmodum ergo criminis adulteratæ monetæ est reus, qui ab aliis cusam distribuit; ita ipse foret calumniæ, quamvis inventas ab aliis sycophantias solas, & non suas simul, divulgasset. Et quomodo audet dicere se rumores istos iniquo animo tulisse, cum arcanum quod de Synodo Dordracena Blondellus in ejus, tanquam fidelis amici, sinum privatim Amsteldami, ut supra vidimus, deposuerat, nunc ultro, & à nemine rogatus, patefaciat? Quam belle hæc inter se conveniunt? Sic imprudens sorex suo se indicio prodit. Præterea si adeo, ut præ se fert, dolebat

bat de iis quæ in amicum dicebantur, cur non uno ſaltem aut altero verbo illa obiter excuſavit? Fuiſſet-ne tam arduum oratori ingenioſo aliquem iis colorem dare? Cur non oppoſuit tot alia, quæ ab iis quos invidiæ peſtis non afflaverat, in Blondelli honorem paſſim prædicabantur? Quid ſi magno viro parentandi, ut fieri ſolet, provincia ipſi demandata foret, iſtisne floſculis, quos tam larga manu in Epicriſi adſperſit, orationem funebrem exornaſſet? Vir tamen excellens fuit noſter Blondellus, dignusque ut orator aliquis non de vulgo ſuam in celebrandis ejus laudibus facundiam exerceret. Nam ut prætercam ingenii acrimoniam, judicii ſoliditatem, memoriam ad prodigium uſque felicem, eloquentiam extemporaneam, (quæ tamen, ut nihil eſt ab omni parte beatum, non ita elucet in ſcriptis, profundæ quidem ubique eruditionis, ſed quorum gratiam obſcuritas aliquando imminuit) acceſſerat ad hæc naturæ

dona indefatigabilis diligentia, quâ non vulgarem linguarum Latinæ, Græcæ, Hebraicæ, ut & Italicæ quoque & Hispanicæ, notitiam sibi comparaverat, omne Scriptorum genus pervolverat, & eorum opes in divitem illum cordis sui thesaurum recondiderat. Adeo ut nihil esset, sive magnum, sive parvum, in libris Patrum, Actis Conciliorum, disputationibus Theologorum, & in historia vetere ac recenti, tum sacra tum profana, quod ejus cognitionem effugeret, & de quo, interrogantibus, accurate illico non responderet, nullusque cum eo familiarius versaretur, qui non semper doctior ab ejus colloquiis discederet. Quare omnes qui noverant, stupendæ ejus eruditioni assurgebant, non solum Protestantes, sed etiam Catholici Romani, qui ipsum vel infulæ Episcopalis, quamdiu cælebs vixit, vel magnæ alicujus in Aula, aut in Curia dignitatis illicio in partes suas pertrahere parati erant, nisi religiosiorem

com-

comperissent, quam ut mundanarum opum aut honorum splendore caperetur. Quid dicam de morum suavitate, de modestia, de candore, & aliis virtutibus quibus omnes honestos viros ad sui amorem rapiebat? Summatim, plurimæ quæ in eo concurrebant dotes, adeo raræ erant, ut singulæ seorsim ad aliquem supra vulgus attollendum suffecissent. Sed Censor ad culmen gloriæ aliter pervenire desperans, quàm fratrem, qui tot supra se parasangis eminebat, deprimendo, id unicum pensi habuisse videtur, ut nomini ejus aliquam notam inureret. Nec adeo mirarer; ut nunc hominum sunt mores, si Blondello adhuc superstite æmulatio frigusculum ipsorum amicitiæ intulisset, modo animum defuncto, & in Domino requiescenti, tam infensum non retineret. Sed ultra vitæ terminos simultatem extendere, inhumanum penitus est. Claudenda *enim* sunt odia *saltem* cum sepultis: *inquit Athalaricus. Et, si quid cum viventibus* Cassiod. lib. 8. Epist. 1.

 dissi-

diſſidii fuit, mors quæ rerum omnium oblivionem inducit, ita illud obliterare debet, ut ne veſtigium quidem remaneat. Τιμάσθω, *inquit Syneſius,* παρ' ἡμῶν ἡ μνήμη τοῦ τελευτήσαντος, ὅτι πᾶσα δυσμένεια τῷ βίῳ τούτῳ συναποτίθεται.
Epiſt. 66. Honoretur à nobis mortui memoria, quoniam omnis cum hac vita ſimultas exuitur.

Hanc brevem, Reverendi fratres, pro excellentiſſimo viro Apologiam, exegit à me ſincera quæ inter nos à primis S. Miniſterii annis fuit amicitia. Volui hoc qualicunque officio piis ejus manibus exhibito, oſtendere quam immerito illam carpſerit invidus Cenſor. Potuiſſem quidem diffuſior eſſe; (amplum enim habebam exſpatiandi campum;) ſed præfationi ſtatuendus erat modus, ne mole ſua æquaret libellum cui adjungitur. Ideo prætermiſi quæ me privatim ſpectant. Et ſi non parvam conquerendi cauſam habeam, quod eum libido inceſſerit rixandi mecum, qui ipſi nunquam ullo

vel

vel dicto, vel facto, molestus fui. Nisi forte id sufficere arbitretur, quod omnibus ejus placitis non assentior. Quasi vero ulla sit lex quæ me id facere jubeat, & magis obligatus sim opiniones ipsius amplecti, quam ille meas. Putat me errare in fide: idem ego credo de ipso. Vter nostrum potiori jure nitatur, ut mei non est judicare, ita nec ipsius: Dominus olim judicabit. Sit licet primarius Theologiæ professor, ut se ubique, collegis insultans, appellat; id nihil ad me: potestas ejus extra Groninganæ Academiæ limites se non extendit. Quod de omnibus, quæ alibi fiunt, aut dicuntur, censuram fert, præsumptionem ejus, non auctoritatem demonstrat. Pariat singulis mensibus novos libros, imo vel plures quam lepores catulos, donec totum mundum illis impleverit; non ideo justior est causa quam defendit. Sed istud magnæ αὐθαδείας est indicium, quod centies ab aliis tractata, ipse cum lectorum nausea reponit; quasi

nihil bene dictum & ſcriptum eſſet, niſi quod ipſe dixit & ſcripſit. Non detraho tamen ipſi laudem diligentiæ, ut nec magnæ in ſcribendo promptitudinis. Tot libri ab eo compoſiti arguunt ipſum non ſemper dormiviſſe, aut alea luſiſſe. Stylus etiam ſuas quandoque habet veneres, quæ lectorem alliciant. Sed cogitare debuiſſet illud vulgatum: canis feſtinans cæcos parit catulos. Et recordari dicti Salomonici , In multiloquio non deerit peccatum. *Quod enim de multiloquio pronuntiatum eſt, in* πολυγραφίαν *quoque quadrat. Sane difficile non eſſet, (ſi quis ejuſmodi exercitio delectaretur) longos ex tam multis libris contexere errorum & abſurditatum catalogos: imo vel ex ſola illa* ἐπικρίσει*, quæ nobis ſcribendi materiam ſuppeditavit. Sed erroribus, ſi modo fundamentum non evertant, facile ignoſco. Humanum enim eſt errare: nemo ab hac ſorte eſt immunis. Illud intolerandum eſt, quod Cenſor judicium ſibi de omnibus*

Proverb. 10. 19.

arrogat,

arrogat, & fratres, vel ſola methodo in tradenda fidei doctrina à ſe diſcrepantes, damnare audet: imo, quod multo amplius eſt, judicem ſe judicum, privata auctoritate conſtituit. Nam cum duæ Synodi nationales ſupra memoratæ, Alenſonenſis & Carentonenſis, noluerint eos damnare qui docent Deum velle omnes homines ſalvari, & Christum pro omnibus eſſe mortuum, & cum illis qui contrarium ſentiunt æquali gradu & loco collocarint, ſancientes ne alii alios inſectentur, ſed contra ſe ſe mutuo fraterna charitate tolerent; iſte præſumptuoſus Cenſor ſententiam de gratia Dei erga omnes homines univerſali deteſtandam *pronunciare non metuit, & in Epicriſi ſua, ſpretis illarum Synodorum, quas revereri debebat, decretis, totis eam viribus impugnat, & tanquam heterodoxam atque abſurdam traducit. Gratulor vobis, Fratres obſervandi, quod alio ſpiritu agamini, eandemque vobis, &*

successoribus vestris in opere Domini, mentem perpetuo esse opto, ut pacem inter vos inviolatam colatis, nemoque conservum, in quem Deus nullum ipsi jus aut potestatem dedit, ob leve aliquod opinionum discrimen, condemnare, & ex Ecclesia vel munere suo pellere moliatur. Velim etiam ut de me sic sentiatis, tanquam de humillimo vestro in Iesu Christo fratre, qui corpore quidem, & diverso de nonnullis subtilioribus religionis controversiis sensu, à vobis divulsus fui; sed nunquam corde aut affectu. Vestris enim rebus lætis semper gavisus sum, & tristibus indolui, ut ejusdem mystici corporis membrum; Paulini præcepti memor, Si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra. *Nec id de me solum profiteri possum, sed etiam de tota illa Remonstrantium Ecclesia, in qua versor; quæ nuper memorabili*

1 Corinth. 12. 26.

facto

facto ostendit quanta charitate prosequatur reliquos Protestantium cœtus, etiam quos novit non admodum bene erga se animatos esse. Nam cum in hac civitate collectæ fierent pro Waldensibus patria & possessionibus suis expulsis, & omnium rerum, ut ferebatur, egenis; illa pariter symbolam suam non contemnendam, pro facultatum & numeri modulo, in necessitates eorum contulit, & viscera fidelium, persecutionem pro veritate patientium, opibus suis recreavit. Non sumus ergo Schismatici, ut quidam nobis, sed prorsus immerito, objiciunt. Quibus respondere possemus verbis Satyrici,

Quis tulerit Gracchos de seditione querentes.

Ipsi enim rei sunt criminis, cujus alios accusare audent. Vinculum charitatis à nostra parte integrum & inviolatum adhuc manet, paratique sumus omnium injuriarum, quas ab adversa multiplices accepimus, propter Christum in æternum oblivisci. Toleran-

tiam mutuam cùm iis qui à nobis sententiis quibusdam dissident, colere semper voluimus; ipsi vero pertinaciter obstiterunt, & nos invitos, per meram vim, ex suis Ecclesiis expulerunt. Ad eas tamen non illibenter redibimus, modo res in eumdem statum, in quo erant ante Synodum Dordracenam, restituantur; & decretum ab Illustribus Hollandiæ Ordinibus pro pace Ecclesiarum A. D. 1614 factum, vel simile aliquod amicabile concordatum, observetur. Sed ut id, quod verum esse persuasi sumus, abnegemus, aut ab aliis publice impugnari silentes permittamus, à conscientiis nostris impetrare non possumus. Gravis enim nos adversus Deum, & sacram ejus veritatem, peccati reos crederemus, si in tam iniquas pacis, aut potius servitutis, conditiones consentiremus.

Quod ut in timore Dei serio perpendere velitis, vos, Reverendi fratres, per viscera misericordiæ Iesu Christi obtestor; & ut agnita postulati

istius

istius æquitate, auctoritatem vestram, quæ magna hîc est apud bonos, interponatis, quo tandem pax inter nos, & omnes eos qui invocant Dominum 2 Tim. 2.
ex puro corde, *redintegretur; & sic* 22.
beatum illud sæculum redeat, in quo, ut olim, multitudinis credentium Act. 4. 32.
cor sit unum & anima una. *Interea Deum supplex oro, ut vos, & Ecclesias quibus præestis, magis ac magis in veritate illuminet, ad ejus defensionem animet, & omnibus benedictionibus suis cœlestibus in Christo cumulet & locupletet, Amen. Amsteldami, d. 16 Martii, anno* 1657.

LECTORI.

NE *ſequentes paginæ remanerent vacuæ, viſum eſt adjicere inſignem locum ex narratione hiſtorica Abrahami Sculteti, de Curriculo vitæ ſuæ, excuſa* Emdæ, *Anno* 1625. *qui non parum facit ad retundendam illam accuſationem* ἑτεροδοξίας *Blondello intentatam, de qua actum eſt ſuprà, octernionis* C *foliis duobus ultimis.*

Cele-

LECTORI.

CElebrabatur (*ait Scultheus*) hoc eodem anno (*nimirum* 1603) Synodus Reformatorum Vapinci in Delphinatu Galliæ, qua Confeſſio fidei Eccleſiæ Gallicanæ repetita, &c. Ex illa Synodo mittebatur in Germaniam Ioannes Reinaldus, propter controverſiam de Iuſtificationis noſtræ materia, quam Germanorum multi ſolam obedientiam Chriſti paſſivam, hoc eſt, ſanguinem & mortem; Galli activam & paſſivam ſimul eſſe ſtatuebant. Venit is Heidelbergam ſub initium anni 1604, & inde Tillenbergam profectus, cum clariſſimo viro M. Ioanne Piſcatore Herbornenſi, præſentibus Illuſtribus Comitibus Senioribus, Ludovico Witgenſtenio, & Ioanne Naſſovio, ſuper ea re contulit. Cumque D. Piſcatorem ſuam ſententiam ſolidioribus, quam ipſe opinatus erat, rationibus firmare intellexiſſet, Heidelbergam, re infecta, rediit; & quod à Sere-

à Sereniſſimo Electore ad Synodum petiit reſponſum accepit. Cujus confectio quia mihi demandata fuit, affirmare poſſum, hanc, non aliam, ejus fuiſſe ſummam: *Quia Galli & Germani ſalutis ſuæ cardinem in Ieſu Chriſti ſanguine & morte maledicta verti, corde credant, ore profiteantur, cauſam nullam eſſe, cur de cætero ſibi ipſis ſint moleſti.* Qui primus hac de re accuratius cogitavit, fuit is Georgius Cargius, Georgii Friderici Marchionis Brandeburgici Onolsbacenſis Theologus, ex Colloquio Wormatienſi anni 1557, cui interfuit, notus. Is anno 1563 certas Theſes de ea re edidit, ac miſſus anno 1570 Wittembergam, à Principe ſuo, ad Theologos, cum ſententiæ ſuæ rationes has expoſuiſſet: *Legem aut ad obedientiam, aut ad pœnam, non ad utrumque obligare. Itaque Chriſtum, qui pœnam pro nobis ſubierit, obedientiam pro ſe præſtitiſſe. Item, Quod pro nobis præ-*

præstitit, id nos non teneri præstare: ad id præstandum nos non obligari. Christum igitur legi, non pro nobis, sed pro se obedientiam præstitisse; ut victima esset immaculata, Deoque placens: responsum ad argumentum, solidum tulit nullum: jussus est autem in Præceptorum doctrina acquiscere. Hujus deinde sententiam probarunt Vrsinus, & ejus discipuli, Caspar item Olevianus, & Ioannes Piscator; qui quia in Analysi Epistolarum Paulinarum sententiam de justitia Christi passiva subinde Lectori inculcat, à multis judicatus fuit illius esse auctor. Turbarum autem nonnihil eadem hæc controversia dedit in Gallia: sed Serenissimus Magnæ Britanniæ Rex, quicquid id fuit, composuit.

Quod Scultetus tribuit Iacobo M. Britanniæ Regi, de sapientibus ejus consiliis & adhortationibus solummodo accipi debet. Nam res exsecutioni mandata est per Illustrem Mor-

næum

næum Plessiacum, qui, ut erat pacis Ecclesiæ studiosissimus, nulli pepercit labori donec controversiam super isto doctrinæ capite inter D. D. Molinæum & Tilenum exortam feliciter terminasset. Hinc autem videre est quot & quantis defensoribus gloriari queat sententia quam atro carbone Maresius notavit. Nam Zachariæ Vrsini discipuli totum Palatinatum Rheni, & Iohannis Piscatoris Comitatum Nassoviensem & Wetteraviam, repleverunt. Ne de Belgio Fœderato quicquam nunc dicam, ubi quam semper accepta fuerit Vrsini Catechesis, omnes norunt. Memini etiam me olim anno 1609 audivisse doctissimum & humanissimum Bartholomæum Coppenium, illam publice in Academia Heidelbergensi, nemine contradicente, propugnantem. Quod historiæ Ecclesiasticæ professor ignorare non debuisset.

HORATIVS,

Serm. lib. I. *Sat.* IV.

ABſentem, *aut functum vitâ*, qui rodit amicum;
Qui non defendit alio culpante; ſolutos
Qui captat riſus hominum, famamque dicacis;
Fingere qui non viſa poteſt; commiſſa tacere
Qui nequit: hic niger eſt: hunc tu Romane caveto.

San-

Sanctis Manibus

Venerabilis, ac Doctrinâ Celeberrimi Viri,

D. DAVIDIS BLONDELLI,

Theologi & Historici laboriosiss. meritiss.

EPIGRAMMA.

CVi Pietas, cui sana Fides, Doctrinaque curæ est,
Virtutem, Veri *qui studiumque fovet,*
Ille mori nescit, fati securus. in Isto
BLONDELLVM *numero nemo fuisse negat.*
Dicere me verum, æternos victura per annos,
Testantur Genii tot monumenta sui.
Fallor? an usque viror BLONDELLI *nomina jugis,*
Cœlum animam, invidiâ diffugiente, beat?
Scilicet, hæc Pietatis habet, Virtutis & Artis
Præmia; quæ nullo sunt peritura die!

ἐτεόστιχος 1655, Authori lethalis.

BLonDeLLVs Letho CeCIDIt, heV, Corpore nVper!
At Verò eXStIngVI non sVa sCrIpta qVeVnt.

Ex temp. fundeb.

SAMVEL LE ROVSSEAV,

Hanoviâ-Francus, P. L. Cæsareus.

F A-

FAMOSÆ QVÆSTIONIS,

An fœmina ulla inter Leonem IV, & Benedictum III, Romanos Pontifices, media sederit,

ΑΝΑΚΡΙΣΙΣ.

Certatim à sexcentis plus minus annis, de *Ioanna Anglica* Moguntiaco oriunda sermo percrebuit, quę *sexum mentita virilem*, Romanis eo successu imposuisse fertur, ut, communibus post Leonis IV dormitionem votis, ad pontificale solium evecta fuerit. Nec antè [1] Æneæ Sylvii Piccolominei (qui postea Pius II dictus est) tempora repertus ullus, cui falsi suspicio suboleret. Accessere circa A. D. 1534 & 1550 Ioannes Thurmaïr Aventinus, & Michaël Buchingerus Colmariensis, qui factum palam negare cœperunt, cum Onuphrio Panvinio Augustiniano A. D. 1568 Martii 14 defuncto; quem Thomas Hardingus, Nicolaus Sanderus, Alani Copi larvâ tectus Nicolaus Harpsfieldus, Gilbertus Genebrardus,

[1] *Epist.* 130. *A.D.* 1458. *Aug.* 20 *data, circa medium.*

dus, Papirius Massonus, Arnaldus Pontacus, &c. secuti sunt. Prodiit tandem è Senatu Burdigalensi Florimundus Ræmundus, sub cujus nomine Ludovicus Richeomus, Jesuitici Sodalitii Theologus, cum quæstionem ex professo tractandam suscepisset, Baronio Cardinali, Possevino, Swertio, &c. rem planè confecisse visus, Protestantibus ex incuria stylique amarulentia stomachum movit.

Nos quid ex vero statuendum videatur, semotis partium studiis coram Deo asserturi, 1. præcipuorum sive historiæ sive fabulæ, hinc præconum, indè adversariorum, (dissentaneis vel reapse, vel in speciem collectis testimoniis) catalogum texemus. 2. Antiquiorum in utramque partem sententias expendemus. 3. indubitatis eruendam è contentionum tenebris ac pulvere, characterismis veritatem muniemus. 4. libelli Ræmundiani insigniores nævos, intento digito, ne sibi quis hoc uno in posterum judicio standum putet, commonstrabimus.

I. *Præcipui Ioannæ Pontificatûs assertores inter Latinos.*

1 MArianus in Scotia veteri A. D. 1028 natus, *in Coloniâ 5 feriâ Kal. Aug.*

Aug. anno 1056 *Monachus effectus*; annô 1058 *Fuldam venit, ad presbyterium consecratus apud Verzebergum* 3 *Idus Martii*, 2 *Idus Maii feriâ* 6 *post ascensionem Fuldæ inclusus*, anno 1069, 3 Non. April. fer. 6. Moguntiam venit, deinde iterato inclusus, anno 1086, à Benedicti 3 inthronizatione 230, vitâ functus, apud S^tūm^ Martinum sepultus est. Vide *Chron. lib.* 3. *æt.* 6. Dodechin. contin. Florentii Vigorn. Chron.

2 Sigebertus Gemblaci, ac exinde S. Vincentii Metensis cœnobita, A.D. 1113. Octob. 5. vivis exemtus. vide *Chron.*

3 Radulphus Haviaci in Bellovacis Monachus, anno 1157, Alberico teste, defunctus.

4 Otto Frisinghensis Episcopus, Henrici IV Imperatoris ex Agnete filia, & Lupoldo Austriæ Marchione nepos, A. D. 1158, Sept. 22. denatus. Vide *lib.* 7. *Chron.* c. 35.

5 Galfridus Arthurus Monumethensis, Asaphensis Ecclesiæ Præsul, Britannicæ historiæ consarcinator, & Sigeberti (si Ræmundo, Binio, &c. credamus) interpolator, circa A. D. 1152. Vide Ræmundi *errorem popularem* cap. 5. & 32. Binii notas in vitas pontificum, &c.

6 Godefridus Viterbiensis, Imperialis

aulæ Capellanus, circa A. D. 1186. Vide *Pantheonis parte* 20.

7 Martinus Polonus, Archiepiſcopus Conſentinus vel potius Gneſnenſis, Innocentii IV Pœnitentiarius, circa A. D. 1290, à Benedicti 3 incardinatione 435, à Mariani obitu 204, vivere deſiit. Vide *Chron.*

8 Ioannes Pariſienſis Dominicanus, circa A. D. 1290. Vide *lib. de poteſtate regiâ.*

9 Bernardus Guido Lutebenſis Eccleſiæ Epiſcopus, A.D. 1331. denatus. Vide *Chron.*

10 Ranulphus ab Higeden Ceſtrenſis, in annum D. 1363 vivens. Vide *Polychron.* lib. 5. c. 32.

11 Guilhelmus Ockam Minorita, *Nominalium* princeps, Ludovici IV Hyperaſpiſtes, A. D. 1347 April. 10 defunctus. Vide *Dialog.*.

12 Antoninus è Dominicanorum familiâ Archiepiſcopus Florentinus, A. D. 1459 Maii 2 fer. 4. prid. Aſcens. fatô functus, in ſanctorum album A.D. 1523. Maii 31, die S. Trinitatis ab Adrianô VI relatus. Vide *Chron. parte* 2. *tit.* 16. c. 1. 6,7.

13 Ioannes Boccacius Certaldus, A. D. 1376 denatus. Vide librum *de claris mulieribus*, c. 99.

14 Franciſcus Petrarcha Florentinus, Eccleſię Patavinę Canonicus, A.D. 1374.

Iulii

Iulii 19, denatus. Vide lib. *de pontif. & Impp.*

15 Theodoricus à Niem *de privileg. & juribus Imperii*, circa A. D. 1414, à Benedicti III incardinatione 559, à Mariani obitu 328, commentarium edidit. *Hic primus ſtatuæ meminit.*

16 Matthæus Palmerius Florentinus, *inter præclariſſimos viros in Concilio Florentino*, à Trithemio *annumeratus*, Chronico ad A. D. 1449 perducto clarus. Vide *Chron.*

17 Guillelmus Brevinus circa A. D. 1470, à Benedicti III incardinatione 617, à Mariani obitu 385, *de ſeptem principalibus Eccleſijs urbis Romæ*, librum conſcripſit. *Hic primus attrectationis genitalium meminit.*

18 Rodericus Sanchez præfectus caſtri S. Angeli, Zamorenſis primum, exinde Palentinus Epiſcopus, ſub Paulô II, id eſt, inter A.D. 1464 & 1471, claruit. Vide *Hiſt. Hiſp.* lib. 3. c. 12.

19 Compilatio Chronologica ἀδέσποτος, in A. D. 1474 deſinens.

20 Baptiſta Platina abbreviator Apoſtolicus A. D. 1481. à Benedicti III inthronizatione 626, à Mariani obitu 395 defunctus. Vide lib. *de vitis pontif.*

21 Baptiſta Fulgoſius, Genuenſium ab A. D. 1478 ad 1483. Dux. Vide *dictorum memorab.* lib. 8. c. 3.

22 Wernerus Rolwinck de Laer Car-

thuſianus, circa A. D. 1494. Vide *Faſcic. tempor.*

23 Martinus Minorita ei coætaneus. Vide *Chron.*

24 Jacobus Philippus Foreſtus Bergomas, Auguſtinianus, coætaneus. Vide *Supplem. Chron.* lib. 11. ad A.D. 858. *de claris mulierib.* c. 143.

25 Hartmannus Schedel Norimbergenſis, Patavii medicinæ Doctor. eod. tempore. Vide *ſeriem pontif. & Impp.*

26 Marcus Antonius Coccius Sabellicus, eod. tempore. Vide *Ennead.* 9. lib. 1.

27 Liber anonymus *de illuſtribus fœminis.*

28 Annales Auguſtani.

29 Joannes Nauclerus præpoſitus Tubingenſis, circa A. D. 1500. Vide *volum.* 2. *gener.* 29.

30 Raphaël Volaterranus circa A. D. 1503. Vide *Anthropol.* lib. 22.

31 Joannes Lucidus circa A. D. 1510. Vide *Chron.*

32 Joannes Stella Venetus Sacerdos, circa A.D. 1510. Vide lib. *de vitis pontificum.*

33 Joannes Major Belga, *Promptuarii Conciliorum* A. D. 1511 editi fol. 18.

34 Albertus Krantzius Bambergâ oriundus, Decanus Hamburgenſis, coætaneus. Vide *Metropol.* lib. 2.

35 Joannes Hiſpaniolus Mantuanus, Car-

Carmelitanæ familiæ Generalis, circa A. D. 1513. Vide *Alphonſ.* lib. 3.

36 Joannes Trithemius Abbas Spanhemenſis, A.D. 1519 defunctus. Vide *Chron. Hirſaug. vitam Luitprandi abbatis*, &c.

37 Joannes Laſiardus circa A.D. 1520. Vide *Epitom. hiſt.* c. 3.

38 Joannes Nevizanus Aſtenſis, I. C. coætaneus. Vide *Sylv. Nupt.* lib. 4.

39 Chriſtianus Maffæus ordinis B. Hieronymi in Gandavo presbyter, coætaneus. Vide *Chron.*

40 Ludovicus Cælius Rhodiginus coætan. Vide *antiq. lect.* lib. 14. c. 1.

41 Joannes Epiſcopus Chemenſis, coætan. Vide *onus Eccleſiæ.* cap. 19. ſect. 4.

42 Nicolaus Ægidius Chriſtianiſſ. regi ab Epiſtolis, eod. tempore. Vide *Annal. Franc.*

43 Henricus Cornelius Agrippa de Netesheim, armatæ militiæ eques auratus, à Leone X Epiſt. 38. eod. tempore laudatus. Vide *de Vanit. ſcient.* c. 26.

44 Annales Aquitaniæ, parte 2.

45 Joannes Raviſius Textor, circa A. D. 1530. Vide *Officin. tit. Fœminæ habitum virilem mentitæ.*

46 F. Amandus, Ziriczæus. *Chronico apud Simonem Cokum*, A. D. 1534. Antverpiæ edito.

47 Achilles Firminius Gaſſarus, Lindavienſis, Auguſtanæ reip. Medicus, circa A. D. 1536. Vide *Epitom. hiſt.*

48 Leander Albertus Dominicanus, circa A. D. 1550. Vide *deſcript. Italiæ.*

49 Marcus Guazzus, *Chron. cum privilegio Iulii 3. edit.* A.D. 1553 *in Ioanne Papâ* 107. fol. 176 recto.

50 Petrus Mexias eques Hiſpalenſis coætan. Vide *diverſ. lect.* parte 1. c. 9.

51 Alphonſus à Caſtro Zamorenſis, Minorita, inter Theologos qui Concilio Tridentino interfuerunt clarus. Vide lib. 2 *de juſtâ hæret. punit.*

52 Ioannes Noviomagus coætaneus. Vide *continuat. Bedæ de 6 ætatib.*

53 Dominicus à Soto Segobienſis, ordinis Prædicatorum, Caroli V Imp. Confeſſor, in Concilio Tridentino Dominicanorum generalis locotenens, repudiato Epiſcopatu Segobienſi, primariæ in Salamanticenſi Academià Cathedræ prçfectus. A. D. 1560 Octob. 13. deceſſit. Vide *in* 4. *Diſt.* 15. *q.* 1. *art.* 2.

54 Richardus Waſſeburgius, Virdunenſis Eccleſiæ archidiaconus, circa A. D. 1570. Vide *antiq. Belg.* lib. 3.

55 Bartholomæus Carranza è Miranda, Dominicanus, Collegii S. Gregorii Pinciani regens, ac tandem Toletanæ Eccleſiæ

clesiæ Archiepiscopus, A.D. 1575. defunctus. Vide *Summam Concil.*

56 Joannes Tarcagnota. Vide *Chron.*

57 Suffridus Petri Leowardiensis I.C. circa A.D. 1580. Vide *Notas in Martinum Polonum.*

58 Bernardus Girardus Hallanius, circa A. D. 1590. Vide *Hist. Franc.*

59 Petrus Belloïus Fisci in Tolosanô Senatu patronus, libri *Media abusuum adversus Bullam Sixti* 5. *Papæ*, &c. A. D. 1586. inscripti, cap. 2.

60 Harmonia Magistratuum Romanorum, eod. tempore edita.

61 I. Nicolaus Dolionus. A.D. 1594. *Compendium hist.*

62 Claudius Falcetus Curiæ Monetarum Paris. princeps, circa A. D. 1610. Vide *Antiquit. lib.* 9. c. 56.

63 Stephanius Paschasius I. C. fisci in Camerâ Rationalium Paris. patronus, eod. tempore. Vide *Disquis. Franc.* lib. 3. c. 4. 7. lib. 6. c. 5.

64 Joannes Pannonius Quinquecclesiensis Episcopus, circa A. D. 1500. *epigramm. in Paulum* 2.

65 Marullus coætaneus, *epigramm. in Innocentium* 8.

66 Joan. Marcouville, *de Vituperio & Laudibus fœminarum c.* 4.

Citantur præterea à Magdeburgenſibus, *Chronicon Saxoniæ*; à Joanne Juellô Saresburienſis Eccl. Epiſcopô, *Chronicon Chronicorum*, *Valerius Anſelmus Rid*, *Conſtantinus Phrygio*, à Thoma Mortono, *Willelmi Monachi liber rythmicus*, *I. Bapt. Egnatius* lib. 7. c. 3. quos, quia ad manum non ſunt, ex aliorum fide ſubnexuimus. Plures facile obſervaverit ſtudioſus lector; nobis ſeptem cum auctario decadas protuliſſe plus ſatis eſt. Vix certè fieri poteſt ut aliò reſpexerit Joannes ille Papa, qui A.D. 1276. pro viceſimô, *viceſimus primus*, [1] & dici voluit & Romæ dictus eſt; ſiquidem ejus 13. Kal. Iun. defuncti in Eccleſiâ S. Laurentii tale extat epitaphium, *Ioanni Luſitano XXI. pontificatus maximi ſui M. VIII. moritur* MCCLXXVII. Eadem Joannis 22 & 23, Marini Sanuti, [2] aliorumque omnium qui Ioannes viginti tres agnoverunt, mens fuiſſe videtur: ut & Pii II, qui Ioannæ nomen cæteris pontificum nominibus permixtum in Dominico Senenſi, ſcriptæ ad Ioannem Carvajal. epiſtolæ immemor vel pœnitens, proſtare paſſus eſt.

[1] *Vide Bell. Chron. Ciaccon. de vit. pont.*

[2] *Secr. fidel. conc. lib. 3. part. 8. c. 1.*

Ioannæ Pontificatûs aſſertores apud Græcos.

LAonicus Chalcocondylas Athenienſis, circa A. D. 1460. Vide lib. 6. *de reb.*

Turci-

Turcicis. Barlaam Calaber, S. Basilii Monachus, ac exinde Hieracensis Ecclesiæ præsul anno circiter 1303. Vide lib. *de primatu Papæ.*

In discrepantibus de Ioannâ testimoniis observanda.

1 HIc autem nonnulla, quibus Ioannæ patroni diversi distrahuntur, notanda veniunt. Nam 1. Martino Polono, Conrado Halberstadiensi, Hermanno Cygneo, Suffrido Presbytero, Chronologicæ compilationis Scriptori anonymo, Sigebertum, Albertum Stadensem, Vincentium Bellovacensem secutis, qui vel Gregorium quartum *Leonianam urbem à seipso, quia & ipse Leo quartus dictus sit, appellasse* crediderunt, vel Leonem, nescio quem, Hilarii nostri exagitatorem, Felici secundo Liberii pontificis æmulo A. D. 358 suffectum somniarunt, Leo IV, *quintus* audit.

2 Iacobo Philippo Bergomati, Sabellico, Volaterrano, &c. Martinum secutis, vel typographorum incuriâ, vel quia nullam inter Ioannem sextum & septimum (quorum [1] ad plenum sexennium non pervenit administratio) distinctionem admiserunt, *Ioannes septimus* Ioanna dicitur.

[1] *Sedit Ioannes 6 ab anni 701. Octob. 30. fer. 1. ad anni 705. Indict. 3. Ianuar. 7. Ioannes 7. à Cal. Maii 705. fer. 1. ad Oct. 16. anni 707. indict. 7. Vide Anast. Luitprand. &c.*

3 Ioan-

3 Ioannam *anno secundo nondum expleto* deceſſiſſe aſſerit Kranzius; biennio pleno, ſolidoque menſe exactis Platina & Carranza dies 4 addunt; eidem *ſex* ultra biennium Achilles Gaſſarus, *ſeptem* Laſiardus, reliqui *quinque menſes* aſſignant.

4 *Ioannem Anglicum*, Sigebertus, vel potius ejus interpolator Martinus Polonus, Palmerius, Platina, Rolwinck, Sabellicus, Nauclerus, Krantzius, Trithemius, Laſiardus, Textor, &c. vocant; *natione Anglicum, ex Angliâ profectum*, Bergomas & Gaſſarus; *vocatum de Angliâ*, Theodoricus à Niem putat; *natione Moguntinum*, Martinus & Rolwink; *ex Moguntiaco*, Platina; *Moguntiacô oriundum*, Sabellicus; *de Moguntiâ natum* Theodoricus aſſerit.

5 *Poſt centeſimum ſextum* Palmerio, *poſt centeſimum quintum* Carranzæ, *poſt centeſimum tertium* Mariano, *poſt centeſimum ſecundum* Sigeberto ſediſſe fertur.

6 *Declinatæ viæ* Martinus Polonus; *ſtatuæ* Theodoricus, *perforatæ ſedis* Brevinus primus meminit: aliis poſt A. D. 1540, *Magiæ deditam*, *Ludovici 2 Imp. coronatricem* Ioannam fuiſſe ſcribere placuit: ut lambendæ quam informem primus infeliciter excluſerat Marianus maſſæ, 454 annorum periodus vix ſuffeciſſe videatur.

7 *Agnetem* dictam Huſſus [1], Galethus [2], Ful-

[1] *De Eccleſia.*
[2] *Apud Æneam Sylv. epiſt.* 130.

Fulgosius, Francus, &c. *Gelibertam*, Balæus, centuriatores, &c. scripserunt.

Qui *Isabellam, Margaretam, Iuttam, Dorotheam*, nominaverit; qui *Ioannem* IX crediderit; qui anno sive 857, sive 858. collocaverit præter Bergomatem, qui denique vel anno 904 post Benedictum IV, vel 653 post Martinum I, vel 686 post Ioannem V, statuendam putaverit, (quicquid Ræmundi audaciâ freti, [3] Baronius Card. Binius, &c. asseverare ausint,) sive ex Protestantibus, sive ex Romanæ Ecclesiæ communicatoribus, hactenus innotuit nemo.

[3] *Baron A. D.* 853. 6. 67.

8. Cum apud omnes qui eam in naturâ rerum usquam fuisse crediderunt, post Leonem, ante Benedictum sedisse in confessô sit; quisquis deinceps annorum 852 & 858, lineas transilire in animum induxerit, extra chorum saltare, singularem, veteribus ignotam, ἄτοπον, quæque iisdem quibus communis urgetur incommodis obnoxia sit, sententiam propugnare merito videbitur.

Publica nunc pontificiæ majestatis decorisque assertorum omnium querela est, falsatos interpolatosq; Mariani & Sigeberti codices fuisse; in Vaticanis & Gemblacensibus manuscriptis, Alberico, Vincentiô Bellovacensi, & Guillelmo Nangiaco perpetuis Sigeberti exscriptoribus, Ioan-

næ neque volam, neque veſtigium extare: in multis ineditis exemplaribus aliâ manu, alio atramento ad marginem, quæcunque in editis falſi arguuntur, verba appoſita deprehendi: [1] *antiquiſſimum omnium* Martini codicum, Romæ nuper repertum, *in quô nulla Papiſſæ mentio, neque ex famâ aliorum, neque in margine, eadem vel aliâ manu ſcripta ſit.* Nec nobis (ut ut paſſivam ſive temere fingendi, ſive præfractè negandi licentiam jamdudum fæcunda culpæ ſecula invexerint) ſuam hodierno ævo felicitatem invidere animus eſt, nè ὡς ἀπὸ μηχανῆς θεῷ, è medio pluteorum ſitu & pulvere obedientibus ad nutum libris prodire liceat, qui quodcunque libet & commodum eſt, inopinantibus ac imparatis ex improviſo, vel exhibeant vel recuſent. Prono (ſi volupe eſt) cæci favoris impetu ferri ſe ſinant, apud quos nova hæc miracula fidem impetrant. Hoc unum volumus, quod nemo niſi profligati pudoris reus negaverit; undecunque decantatæ manuſcriptorum codicum corruptelæ manaſſe dicantur, Proteſtantibus longè poſtquam in ipſo Romanæ Eccleſiæ ſinu, à ſummæ dignationis viris publicè receptæ, publico patrocinio defenſæ ſunt, natis; ac deinceps à maxima Bibliothecarum parte, unde quæ vitiata creduntur exemplaria deprompta

[1] *Leo Allatius comment. de Ioanna.*

pta ſunt, excluſis, nequaquam eas imputari niſi per ſummam injuriam poſſe: Nec ex ratione agere, qui [1] *ad eorum propriè qui B. Petrum Romano principatu deturbare voluerunt ſcholam, maledicamque doctrinam pertinere: eodem ex oppoſito artificio fœminam collocare*: [2] *totum hoc*, quod diſplicet, *ab hæreticis Martiniano Chronico fuiſſe innexum evidens eſſe*; pronunciare non verentur. Quaſi verò Ioanni Huſſo, Ioanni Galetho, Sebaſtiano Franco, Ioanni Funccio, Theodoro Bibliandro, Ioanni Balæo, Iacobo Curioni, Theodoro Scorembergio, Centuriatoribus, quibus falſo Ioannem Carionem, Coccius & Victorellus accenſent, vitio vertendum ſit, ſi Romanorum, ac inprimis Ioannis XXI, de quo Bellarmino Cardinali, *mirum, cur Papa dici voluerit viceſimus primus*: Ciaccono, *ab his qui fabuloſam & commentitiam Ioannam fœminam numero pontificum interſerunt viceſimum primum dictum* fuiſſe certum eſt, publicis confeſſionibus aſſenſu ſemel dato, ab inveterata opinione abduci ſe facile non patiantur, ab his præſertim qui convitiis quam veris argumentis certare malunt. Id certe truculentæ ac quodammodo inhumanitatem profeſſæ mentis indicium eſt, quod Funccio, ab iratis Sigiſmundi II Poloniæ regis delegatis ob politicas, quibus temere ſe

[1] *Ramundi Præf.*

[2] *Allatii comment.*

se implicuerat turbas, oppresso, cætera docto [1] ac *de repub. literaria bene merito*, totis triginta ab excessu annis fatalem calamitatem exprobrat Ræmundus, perinde ac si ob læsam Romanæ sedis famam, intrusamque pontificio solio Ioannam supplicium luisset miser.

[1] *Thuan. hist. lib. 38. A.D. 1566. Octob. 28.*

II. *Auctores qui Ioannam excludere videantur inter Latinos.*

1 Lupus Ferrariarum & S. Iudoci abbas, qui A.D. 853. April. 26. Concilio Suessionensi subscripsit; epistolâ 103 ad Benedictum III, simulac ipsum Romæ sedere Francis innotuit datâ, hæc habet: *Tempore decessoris vestri beatæ memoriæ Leonis, functus legatione Romæ, cui Deo auctore præsidetis, & ab eodem antistite exceptus benigne atque tractatus; postquam vos non esse inferiores religione fama declaravit, nec tantum Beatiss. Petri participes, verum etiam humilitatis quam* [1] *in allocutione Cornelii vulgavit hæredes, vera morum vestrorum expensio certâ ratione perdocuit; ausus sum ego tantillus cognitioni vestræ sublimitatis me scriptis ingerere, &c.*

[1] *Act. 10. 25.*

Si Ioanna media intercesserat, qui factum ut quantum ab impuro scorto distaret, qui illatam Romanæ sedi labem eluit Benedictus, non notaverit Lupus?

2 Concilium Tullense ad Saponarias A.D. 859. congregatum, Epistolâ ad Britannos, *Nostro nomine plura & Reverendissimi*

Papæ

Papæ Leonis, & successoris ejus Benedicti scripta docuerunt.

3 Nicolaus I. Epistolâ 1. ad Michaëlem Imp. quæ est numerô 2. A. D. 860. Septemb. 25 scriptâ; *instituta antecessorum nostrorum, sanctorumque pontificum, Leonis videl. Papæ atque Benedicti, parvipendendo contempserit* [Photius.] Epist. 3. ad eund. Imp. quæ est numerô 8. A. D. 866. idib. Novemb. indict. 15. scriptâ. *Epistolæ diversæ sanctissimis pontificibus, Leoni scil. & Benedicto decessoribus nostris missæ.* Epist. 10. ad Episcopos Constantinopolitanæ sedi subjectos, A. D. 866. Novemb. 13. data, & Constantinopoli A. D. 869. Octob. 29. Concilii 8. act. 7. relectâ. *Decessores mei beatæ memoriæ Leo & Benedictus sedis Apostolicæ moderamina servantes, noluerunt sic unam partem audire, ut aliæ parti nihil reservarent,* &c. Epist. 46. ad Prælatos Suessione, A. D. 866. Decemb. 6. congregatos; *Eo voti effectu frustrato Apostolicæ sedis pontifex Leo qui fratris Hincmari propositum noverat, ab hac luce subtractus est;* † *cumque sanctæ memoriæ Benedictus vir Apostolicus ei successisset in ordine pontificatus, rursus idem Reverendus Hincmarus arma præparat, & eidem summo præsuli tanquam suarum inexperto versutiarum latenter surripit; & in ipso coronationis ejus principio suadet, ut Concilium* quidem

† *Si* subtracto ab hac luce *Leoni* successit, *nemo medius sedit.*

quidem ad votum unius hominis congregatum firmaret, &c. Epiſt. 47, ad Hincmarum eodem tempore datâ : *Quid eſt quod obtinere modò legatis, modò literis apud deceſſores meos Leonem ſcil. & Benedictum, beatæ recordationis pontifices, te cupere & quærere ſignificas?*

4 Ado, Viennenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, in locum Agilmari, A.D. 859. Iul. 6. defuncti ſuffectus, Concilio Tuſiacenſi, A. D. 860. Octob. 21. congregato ſubſcripſit, cumque ſedem ad A. D. 871 tenuiſſet, paulo poſt vivendi finem fecit, ſiquidem Ottramnus capitulis, in Pontigone palatio A. D. 876. menſe Februario ſancitis, ſubſcripſit; ut neceſſe ſit ab alio continuatum ad A.D. 923. Adonis Chronicon; ad cujus finem ſequentia legimus, *Pontifex Romanus Gregorius moritur, atque ejus loco Sergius ordinatur; illo defuncto Leo ſuccedit; quo obeunte * Benedictus in ſede Apoſtolicâ ſubſtituitur, jam tamen defuncto Lothario,* &c. quia ſcil. ipſo incardinationis Benedicti die Lotharius idem vivere deſiit.

* *Si media inter Leonem & Benedictum Ioanna ſedit, non* obeunte *Leone, ſed Ioanna,* ſubſtitutus *Benedictus.*

5 Anaſtaſius Abbas, Romanæ Eccleſiæ Bibliothecarius, cum Suppone Comite, Conſtantinopolim à Ludovico II Imp. A. D. 869. Synodi 8 tempore legatus: quique Ioannis Eleëmoſynarii, Alexandrini Patriarchæ, à Leontio Neapoleos Cypri Epiſcopo Græcè conſcriptæ vitæ verſio-

nem

nem Nicolao primo; octavæ Synodi Adriano II; ſeptimæ Ioanni VIII, paſſionis B. Dionyſii Areopagitæ à Methodio Conſtantinopolitano deſcriptæ, Carolo Calvo, A.D. 876. Indict. 9 Iunio menſe inſcripſit; is in vitâ Sergii II, Leonis IV, Benedicti III, & Nicolai I, plurima notat quæ Ioannam penitus excludant, infra titulis ſuis digerenda.

6 Hincmarus ad Eccleſiæ Rhemenſis regimen, anni 845, Aprili menſe vocatus, Maii ſequentis 17, feria 1 incardinatus, ad A.D.882. Decemb. 21 clavum tenuit: is, Epiſtola 2. ad Nicolaum Papam, A. D. 866. Aug. 25. datâ hæc habet omni exceptione majora: *Cum iſta Epiſtola, & cum legatione* [1] *Imperatoris, per præfatum venerabilem* [2] *Epiſcopum miſſos meos cum literis, quarum exemplum habeo, de petitione Epiſcoporum, & de aliis meis petitionibus Romam direxi: quibus in viâ nuncius venit de obitu Papæ Leonis; pervenientes autem Romam cum præfatis literis, & intervenientibus prædictis Epiſcopis* [3], *Dominus nomine & gratiâ Benedictus (mihi quod eſtis) privilegium indè direxit*, &c. Etſi teſtudineo, quem grandire nemo potuerit, gradu, mediam, nec totam, inter Remos, Romamque viam permenſos fuiſſe velimus, quis 300 ad ſummum milliaria biennio, & quod excurrit, confici non

[1] *Lotharii: de quo paulo ante verba fecerat.*

[2] *Petrum Aretinum.*

[3] *Petro Spoletino & Petro Aretino, qui damnationi Anaſtaſii Presbyteri, A.D. 853. Decemb. 8. ſubſcripſerant. Vide Anaſt. in Leone IV. Concil. Rom. &c.*

non potuiſſe credat? ſi bimeſtri tempore facile confici putet, quibus in latebris per menſes 27 dormierint Hincmari miſſi doceat; & nobis magnus Apollo fuerit.

7 Guillelmus Bibliothecarius, Adriani II vitæ ſcriptor: *Sicut poſt mortem quarti Papæ Leonis, ita poſt obitum tertii Benedicti pontificis ſubire ſummum pontificium, niſi ipſe, diverſis argumentis, & exquiſitis exactionibus verecundè ſubterfugiſſet, cogeretur* [Adrianus II.]

8 Annales Bertiniani in annum 882. deſinentes locis infra annotatis.

9 Luitprandus Ticinenſis Eccleſiæ primum Diaconus, ac exinde Cremonenſium Epiſcopus, Conſtantinopolitanâ legatione ſub Ottonibus 1, & 2. A.D. 946, & 968, functus, de vitis pontificum ſcripſit; cum autem Anaſtaſium κατὰ πόδας ſequatur, nos ejus verba Anaſtaſianis attexemus ſuo loco.

10 Flodoardus Eccleſiæ Rhemenſis Canonicus, & Culmiciacenſium parochus, A.D. 996. Mart. 28. defunctus, *Hiſtoriæ Rhemenſis Eccleſiæ* libro 3. c. 11. hæc ſcriptis mandavit: *Actio Synodi ſedi Apoſtolicæ ab Hincmaro directa & à Benedicto Papa Leonis ſucceſſore corroborata eſt*; prout nos Nicolaus Epiſt. 46. Hincmarus Epiſt. 2. docuerunt ſuprà.

11 Leo IX, A.D. 1054. Aprilis 19. denatus, Epiſtolæ ad Michaëlem Conſtantinopolit.

nopolit. Patriarcham, & Leonem Achridæ Bulgarorum Archiepiſcopum, anno 1053 datæ, cap.23. *Abſit ut velimus credere quod publica fama non dubitat aſſerere, Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ contigiſſe, ut Eunuchos contra primum S. Niceni Concilii capitulum paſſim promovendo, fœminam in ſede Pontificum ſuorum ſublimaſſet aliquando. Hoc tam abominabile ſcelus, deteſtabileque facinus, etſi enormitas ipſius, vel horror, fraternaque benevolentia non permittit nos credere; conſideratâ tamen incuriâ veſtrâ erga Sanctorum cenſuram Canonum, quia Eunuchos & aliquâ parte corporis imminutos, non ſolum ad Clericatum, ſed ad Pontificatum etiam indifferenter & ſolenniter adhuc promovetis, fieri potuiſſe penſamus.* Si 200 antè annis Leonis IV loco Joannam ſediſſe conſtabat, annon inſanus fuiſſet Leo IX, conſimile dedecus ex incertæ famæ rumuſculis hauſtum Conſtantinopolitanis exprobrare auſus, meritas confeſtim inhumanę dicacitatis injuriâ provocatis pœnas daturus? judicent rerum periti.

12 Hermannus Contractus, monachus Augienſis A. D. 1013. Iul. 18. Wolferado Veringæ Comite & Hiltrude natus, A. D. 1054 (Bertholdo Conſtantienſi teſte) edito Chronico deceſſit: quod cum diverſim nuper excuſum ſit, variantium editionum παραλληλισμὸν inſtituemus.

Anni Mundi.	Anni Domini.	Anni Ludovici Regis Germ.	*Editio Francofurtensis anno 1613.*
4799	843	4	Sergius [1] 2, Papa 104, annis tribus.
4800	844	5	Hincmarus [2] vir doctus Rhemorum Archiepiscopus ordinatur.
4801	845	6	
4802	846	7	Leo IV, Papa 105 [3], annis 9. mensib. 3. dieb. 6.
4803	847	8	
4804	848	9	Walafridus Strabo Abbas Augiensis vir doctus obiit.
4805	849	10	
4806	850	11	
4807	851	12	
4808	852	13	
4809	853	14	
4810	854	15	
4811	855	16	Benedictus III, Papa 106. annis 2, [4] mensib. 6. dieb. 9. Leo Papa, [5] Trogo & Rabanus, Hiligard regina obierunt. Lotharius Imp. obiit: pro quo filius ejus Ludovicus imperavit cum fratre Lothario annis 19.
4812	856	17	
4813	857	18	Benedictus Papa obiit. [6]
4814	858	19	Nicolaus Papa 107. doctus, annis 9. [7] dieb. 9.

1 Hic numeri luxati sunt, cum enim Hermannus Gregorium II octuagesimum sextum dixisset, Gregorium III 92 credere non potuit, sed 87, ut Sergius II 100, non 104. inscriberetur. Meminerit etiam lector, Sergium anno demum 844. Febr. 10. sedere cepisse.

2 Ordinatum A. D. 845. docet Concil. Bellovacense.

3 Nec 105 Leo, sed 101; nec anno 846 sedere capit, sed 847. April. 12. feria 3.

4 Leo, Iul. 17. Drogo Metensis Novemb. 8. Lotharius Septemb. 29. Raban. anno seq. decessit: Hildegardis Theodori Comitis uxor, regina dicitur, quia Ludovico pio patre nata est.

5 Hatto prid. Idus Aprilis.

6 Imo anno 858. April. 8.

7 Imo annis 9. mensib. 6. dieb. 20. ab A. D. 858. Aprilis 24. feria 1; ad 867. Novemb. 13. feria 7.

Editio

Editio Colonienſis anni 1618.

Anni Domini.	
843	Gregorio Papâ defunćto, Sergius II ſedit annos tres.
844	Rhemis poſt Ebonem Hincmarus vir doćtus Archiep. ordinatur.
845	
846	Romæ Leo IV ſedit annis 9. menſib. 3. &c.
847	Moguntiæ Otgarius Archiepiſcopus obiit; pro quo Rabanus Fuldenſis Abbas, doćtiſſimus Archipræſul ſedit annis 9.
848	
849	Walachfridus Abbas Strabo obiit, pro quo Folcwinus XIII præfuit annis 9.
850	
851	
852	
853	
854	
855	Lotharius Imp. relićto mundo, &c. monachum ſe fecit, &c.
856	Rabano Moguntinenſi Archiepiſcopo 2 nonas Febr. defunćto, Carolus Pipini regis Aquitaniæ filius, qui è cuſtodia Corbeïenſis cœnobii ad patruum Ludovicum transfugerat, Archiepiſcopus ab ipſo promotus præfuit annis 8. Hildigard Regina obiit. Fuldis Hatto Abbas obiit, Thietoque ſucceſſit, &c. Romæ Leone defunćto Benedićtus Papa ſedit annis 2. menſ. 6.
857	
858	Romæ poſt Benedićtum Nicolaus Papa ſedit annis 9.

13 Hugo Floriacensis [1] Chron. lib. 6. *in Romanâ Ecclesiâ Papæ Gregorio Sergius successit, & Sergio Leo IV, & Leoni Benedictus, & Benedicto Nicolaus.*

14 Florentius Vigorniensis circa A. D. 1118. monasticen professus, lib. de reb. Anglorum gestis: *Anno* 843 *Gregorius Papa obiit.* 844 *Sergius* 101 *Papa.* 853 [2] *Leo Papa* 102 *post Petrum.* 855 *Benedictus* 103 *Papa post Petrum.* 858 *Sanctus Nicolaus Papa* 104.

15 Honorius Augustodunensis Ecclesiæ Presbyter & Scholasticus, in serie pontificum ad A. D. 1130. continuatâ; *Sergius junior Roman.* 3 *annos. Leo IV Roman. annos* 8. *mens.* 3. *dies* 6. *Benedictus III Roman. annos* 2. *mens.* 6. *dies* 6. *Nicolaus Roman. annos* 9. *menses* 6. *dies* [3] 30.

16 Nicolaus Maniacutius Catalog. Rom. pontif.

Gregorius quartus, & Sergius, & Leo quartus,
Pontificem dictum post quos legimus Benedictum.
Hinc Nicolaë tuo tua gaudet Roma decore.

17 Conradus a Lichtenaw Abbas Urspergensis, Chron. ex vetustioribus contexto in A. D. 1229 desinente, *anno* 857. [4] *Leo Papa migravit, cui Benedictus Papa* 104 *successit, & ipse eodem anno decessit: anno*

858

[1] *Ante A. D. 1059. Philippi regis* I. *cujus coronationi Hugonis successor Rainerius interfuit.*

[2] *Imo* 847.

[3] *Imo dies* 30.

[4] *Nec anno* 857, *sed* 855. *Leo decessit; nec eodem anno migravit Benedictus; nec annis novem concluditur Nicolai periodus.*

858 *Nicolaus Papa 105 ordinatur, regnavit annis 9.*

18 Albertus Abbas, qui relicto Stadensi cœnobio Franciscanorum institutum secutus, circa A. D. 1240 Chron. edidit: *Leo quintus natione Romanus sedit annis 8. [1] mens. 6. dieb. 3. obiit 16 Kal. Augusti. Papatus cessavit [2] mensib. duobus, dieb. 12. Benedictus III, natione Romanus patre Petro sedit annis 2. mens. 6. dieb. 10.*

[1] *Mensib. 3. dieb. 5. ultra octennium sedit.*

[2] *Totidem menses diesque intercedunt inter Iul. 17. & Sept. 29. excluso utroque termino.*

19 Albericus Triumfontium monachus, Sigeberti exscriptor, de Ioanna silet: desinit in annum 1241.

20 Vincentius Burgundus, Dominicanorum Bellovacensium sodalis, male à Bellarmino Card. & Possevino in Bellovacensium Episcoporum catalogum relatus, A. D. 1256. decessit; Is *speculi*, non *naturalis* (quod perperam citat Coccius) sed *historialis*, *volum.* 3. c. 36 & 37 Sigeberti verba mutuatur, nec tamen vel Ioannæ vel Benedicti meminit.

21 Guill. Nangiacus, S. Dionysii monachus, Chronico in annum Domini 1301 desinente, Sigeberti de Leone IV & successoribus, nullà Ioannæ factà mentione, verba exscribit.

22 Matthęus Westmonasteriensis in Londinensi suburbio cœnobii monachus, circa A. D. 1370. Chron. quod *Flores temporum*

inſcripſit; *Anno 847. Leo Papa ſedit in Cathedrâ Rom. annis 8. menſib. 3. dieb. 6. & ceſſavit ſedes menſibus* [1] *duobus. Anno 855. Leone Papâ defuncto ſucceſſit ei Benedictus annis 2. menſib. 6. dieb. 10. Anno 858. defuncto Papâ Benedicto Nicolaus ſedit in cathedrâ Rom. annis 9. menſib. 2.* [2] *dieb. 20.*

[1] *παχυμερῶς vacationis tempus numero rotundo uſus notavit Matthæus. fuit enim poſt Leonis obitum dierum 73 interpontificium.*
[2] *Lege menſib, 6.*

23 Chronicon Bibliothecæ Regiæ MS. numero 1349. in quo duo Paparum Catalogi Benedictum III, Leoni IV ſuffectum notant: deſinit autem prior in annum 1124.

24 Gobellinus Perſona, Halberſtadienſis Eccleſiæ Præpoſitus, Chronico in annum 1418 deſinente, Benedictum III, Leoni IV ſufficit.

Qui adverſus Ioannam ſtare videantur inter Græcos.

1 PHotius, qui ab A.D. 858. Decemb. 25. ad 869. (quo, reſtituto priſtinæ dignitati Ignatio, in ordinem redactus eſt) rurſumque ab Ignatii A. D. 878. Oct. 23. defuncti dormitione ad A. D. 886. Conſtantinopolit. Patriarchatum tenuit; libro MS. *de Spiritus Sancti proceſſione*, χθὲς καὶ οὔπω δευτέρα γενεὰ παρῆλθεν, Λέων ἐκεῖνος ὁ περιώνυμος ὁ καὶ θαύμασιν ἔχων, ἐστὶν οὗτος ἐνσεμνυνόμενος πᾶσαν ἁπάντων ἐκκύπλων πρόφασιν

Londini poſtea editus eſt cum ſequentibus.

φασιν αἱρετικὴν, &c. ἀλλὰ καὶ ὁ πρᾶος καὶ ἐπιεικὴς καὶ ἀσκητικοῖς ἀγῶσιν ἐναγλαϊζόμενος ὁ κλεινὸς Βενέδικτος, ὁ μετ' ἐκεῖνον τοῦ ἀρχιερατικοῦ θρόνου διάδοχος. & alio libro MS. quo probare conatur *Spiritum Sanctum à solo Patre procedere*; Λέων γὰρ καὶ Βενέδικτος οἱ μεγάλοι ἐς ὕστερον ἀρχιερεῖς.

Si Ioanna media fuit, non μετ' ἐκεῖνον sed μετ' ἐκείνην scribere oportuit.

2 Metrophanes Smyrnæus, qui inter Patres Synodi anno 869 adversus Photium congregatæ sedit, à Nicolao Papa Epist. 8 laudatus, libro MS. è Palatina Bibliotheca in Vaticanam translato, quo *Spiritus Sancti processionem à Patre solo* adstruere conatur. Βενέδικτος [2] ὁ μετ' ἐκεῖνον [Leonem IV] τοῦ ἀρχιερατικοῦ θρόνου διάδοχος.

[2] *Nota ut supra.*

3 Stylianus, Neocæsareæ Euphratensis Episcopus, quem Concilio anno 869 adversus Photium congregato interfuisse constat, Epistolâ ad Stephanum VI Papam A. D. 886. scriptâ, cujus versionem Annalib. suis inseruit Baronius Card. * τελειωθέντος γὰρ τοῦ μακαριωτάτου πάπα Λέοντος ἐκεῖνοι [Photiani] τῷ μετ' αὐτὸν Βενεδίκτῳ τῆς Ῥώμης πάπᾳ πάλιν δι' ὄχλου γεγόνασιν.

* Si denato Leone & post ipsum non post Ioannam.

4 Liber Anonymus, περὶ Λατίνων αἰτίας in Bibliothecâ Vaticanâ reconditus, τέθνηκεν ὁ ῥηθεὶς [3] Λέων, καὶ Στέφανος αὐτὸν διεδέξατο,

[3] *Leo III, Stephanus IV, Paschalis I, Eugenius II, Valentinus, Gregor. IV. Sergius, quem male Pelagium vocant, Leo IV. Benedictus III.*

ξατο, τοῦτον Πασχάλιος, τοῦτον Εὐγένιος, τοῦτον Βαλέντιος, τοῦτον Γρηγόριος, τοῦτον Σέργιος ὁ καὶ * Πελάγιος, τοῦτον Λέων, τὸν δὲ Λέοντα ὁ Βενέδικτος. Item, παρῆλθε τὸν βίον Λέων οὗτος ὁ ἁγιώτατος, καὶ καθέστη τούτου διάδοχος Βενέδικτος ὁ θεῖος.

** Pelagius nullus inter Sergium II, & Leonem IV intercessit.*

5 Liber alius anonymus, ὅπως ἀνεφύη ἡ τούτων [τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης ἀρχιερέων] αἵρεσις, ex ead. Biblioth. ὁ μετὰ τὸν τοιοῦτον Λέοντα Βενέδικτος καὶ αὐτὸς πάπας.

6 Liber alius anonymus, *Quomodo Latini scissi*, ex ead. Biblioth. ὁ δὲ μετὰ Λέοντα Βενέδικτος ὁρῶν πάλιν ὑπὸ εἰρημένων αἱρεσιωτῶν τὸν τοῦ θεοῦ λαὸν λυμαινόμενον.

Nota ut supra.

7 Dialogus anonymus, *de Azymo & Spiritus Sancti processione*, ex eadem Bibliothecâ. μανθάνει ταῦτα ὁ τῆς Ῥώμης ἁγιώτατος πάπας Λέων λυπεῖται, &c. ὁ δὲ γὲ καὶ μετ' αὐτὸν ἀρχιερατεύσας θεῖος Βενέδικτος, &c.

8 Libellus Anonymus adversus Photium A. D. 891 scriptus, hoc titulo, ἐντεῦθεν δείκνυται ποσάκις οἱ σταυροπάται τοὺς ἰδίους [1] σταυροὺς ἠθέτησαν. ex Bibliothecâ Vaticanâ Romæ A.D. 1613. Coloniæ A.D. 1618. Parisiis A. D. 1633. ad finem sectionis posterioris, partis primæ Tomi III Conciliorum editus. Μέχρι τῆς σήμερον [2] με ἔτη ἀναθεματίζεται Φώτιος προδήλως ἀπὸ τοῦ πάπα

[1] σταυροὶ, id est subscriptiones crucis signo munitæ.

[2] anni 45 ab anno 847 inchoandi.

πάπα Λέοντος ἕως τοῦ Φορμόσου. ἕνδεκα [1] γὰρ ἔτη ἀνεθεματίζετο κοσμικὸς ὤν, κοινωνικὸς τῷ καθῃρημένῳ καὶ ἀναθεματισμένῳ Γρηγορίῳ τῷ Συρακούσης, καὶ ἄλλα λδ ἔτη [2] ἀφ᾽ οὗ ἐγένετο Ἀββᾶς. ὁ γὰρ πάπας Λέων, καὶ ὁ Βενέδικτος, καὶ ὁ Νικόλαος τὸν Γρηγόριον ἀνεθεμάτιζον κατὰ πολλὰς καὶ ἀτόπους αἰτίας. Ἐπεὶ δὲ ὁ Φώτιος παρὰ τοῦ εἰρημένου ἐχειροτονήθη, καὶ δι᾽ ἄλλα μὲν ἀλλὰ καὶ διὰ τὸ δέξασθαι παρὰ τοιούτου τὴν ἱερωσύνην ἀναθεματίζεται ὑπὸ τῶν ἐννέα προέδρων τῆς Ρώμης, Λέοντος, Βενεδίκτου, Νικολάου, Ἀδριανοῦ, Ἰωάννου, Μαρίνου, Ἀδριανοῦ ἑτέρου, Στεφάνου καὶ Φορμόσου, καὶ οὐδεὶς τῶν μεταγενεστέρων Νικολάου ἔλυσεν αὐτοὺς, &c. Quæ verba cum *Breviario octavæ Synodi in Embolo* ſeu porticu *magnæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ affixo*, malè confudit [3] Allatius: affixum enim *Breviarium* illud anno 869, Legatorum Adriani II & Orientalium nomine, antequam Conſtantinopoli exceſſiſſent; ejus verò memoriam revocat, ut & Romanarum Synodorum ſub Nicolao primo & Adriano II, annis 863 & 868 coactarum, & confirmatæ per Ioannem VIII Photii damnationis A. D. 882. Auctor anonymus, cujus libellus A. D. 891, Formoſi primo, editus eſt.

[1] *Anni* 11. *ab A. D.* 847. *ad* 858.

[2] *Anni* 34. *ab A. D.* 858. *ad* 891.

[3] *Comment. de Papiſſâ.*

9. Ex Gregorii Patriarchæ Hieroſolymitani ἀντιῤῥητικοῖς, caput 33, cujus titulus,

Ioannes Beccus ex Chartophylace Patriarcha Constantinop. sub Michaële Palæologo, A.D. 1286. ab Andronico sede pulsus est.

κατὰ τῶν τοῦ Βέκκου δογμάτων καὶ γραμμάτων, πῶς καὶ διὰ τίνων ἡ τῆς παλαιᾶς Ῥώμης ἐκπέσεν ἐκκλησίας. Biblioth. Regiæ numero 1727 —— ὁ δέ γε μετ' αὐτὸν [Λέοντα] ἀρχιερατεύσας θεῖος Βενέδικτος καὶ οὗτος αὐτὴν λύμην τῆς αἱρέσεως θεασάμενος.

III. *Testimoniorum in utramque partem Examen.*

POssent sanè singula hęc testimonia, Benedictum (nemine prorsus interjecto) Leoni suffectum persuadere, nisi plurimorum calculis de medio Ioannæ pontificio comprobata invaluisset opinio ; qua qui mentem semel imbuerunt, vix eò se adduci patientur, ut simul ac *Leonem Benedicti decessorem*, *Leonem Benedictumque Nicolai decessores*, *Benedictum Leonis successorem*, *Leoni successisse*, *post Leonem pontificem fuisse*, μετ' ἐκεῖνον ἀρχιερατικοῦ θρόνου διάδοχον, μετ' αὐτὸν πάπαν, μετ' αὐτὸν ἀρχιερατεύσαντα audierint, deponendam putent : Quandoquidem illi ipsi per quos Ioannæ ad posteros transmissa fama est, Leonem præcessisse, Benedictum non nisi post sedisse, Leoni mediatè saltem successisse fatentur, nec se talibus nodis constringendos exponunt : *Benedictus post Leonem sedit*, *Leonis successor fuit*. Ergo *nemo inter Leonem & Benedictum*

nedictum medius sedit: Cum Episcopum quemcumque *Apostolorum* Hieronymus [1]; Radulfum Antiochenum *Ignatii* Will. Tyrius [2], Papam quemlibet *Petri* (quem multis seculis præcessisse, nec Urbano VIII propriè locum fecisse palam est)constanter *successorem* vocet Roma : Ioannem II, *post Ioannem Ravennatem S. Romanæ Ecclesiæ obtinuisse dignitatem*, asserat Luitprandus [3], quantumvis Leonem VI & Stephanum VII intermedios fuisse consentiant omnes.

[1] *Epist.* 85.
[2] *De bello sacro lib.* 14. *c.* 10.
[3] *Lib.* 2. *c.* 11.

Multò minùs eos testium illorum constringet auctoritas, qui vel nuda Leonis, Benedicti, Nicolai nomina, ex ordine catalogis suis inseruerunt; vel additis numerorum notis, Leonem 101, Benedictum 102; vel Leonem 102, Benedictum 103; vel Leonem 103, Benedictum 104; vel denique Leonem 105, Benedictum 106 scripserunt : cum paria videant in Mariano, Leoni *centesimum secundum*, Benedicto *centesimum tertium*; ut & in Sigeberto Leoni *centesimum primum*, Benedicto *centesimum secundum* locum vindicante : Sigebertumque, prout vulgo editus est, & Godefridum (quos recentiores omnes secuti sunt) disertè monentes audiant, *nomine numerum non facit, Papissa Ioannna non numeratur*. Promptum sanè fuerit obfirmato

(si

(ſi cui libuerit) animo tueri, ab iis qui Ioannam nullam agnoſcere videntur, deſtinato conſilio, vitandi ſcandali cauſa, [1] *ob facti turpitudinem*, prætermiſſam, ejus nomen non penitus ignoratum fuiſſe: licèt qui vetuſtiorum (de fœdo ejuſdem exitu, excitatis ad perpetuam memoriam monumentis publicè, ſi Deo placet, conteſtato) diſſimulationem pudori imputandum autumant, ἀσύσκλωστα κλώθειν merito cenſeantur. Quis enim vel Latino Clero infenſiſſimis ultioniſque avidiſſimis Græcis in mentem venire potuiſſe putet, ut (indicto ſibimet ſpontè ſilentio) urbicorum pontificum, quos undecunque quæſitis criminationibus odioſiſſime exagitabant, infamiæ parcerent; vel Nicolaum primum, Hincmarum, Adonem, Anaſtaſium, Luitprandum alioſque, quibus cum Romanis optimè conveniebat, id ſe conſecuturos ſperaſſe fingat; ut (quod famoſa ſtatuarum propalam proſtantium erectio, ſcrupuloſa in proceſſionum ſolennibus ſceleris conſciæ viæ declinatio, ſtercorariæ ſedis ad explorandum Paparum ſexum decreta in poſterum inſeſſio, urbi & orbi indeſinenter ebuccinabant) illatum per ſummum nefas Eccleſiæ Romanæ dedecus tacendo eluerent?

[1] *Hac in ſententia fuit Ranulfus Polychron. lib. 5, c. 32. & Martinus Polonus.*

Ea rurſus elevandæ Nicolaï, Adonis,

Hermanni,

Hermanni, Westmonasteriensis auctoritatis, quę arctiùs nodum stringit, non aspernanda primâ fronte videatur ratio, si quis *subtracto ab hac luce Leone Benedictum successisse*, ex Nicolai sententia dictum velit, quia non nisi post Leonis dormitionem, mediatè tamen, *successit*: Adonem, qui Benedictum (*obeunte Leone*) *substitutum* scripsit; hac usum phrasi, quia non præcessit, sed proximè Leonis decessum consecuta est Benedicti *substitutio*: Hermannum & Westmonasteriensem *defuncto Leone* Benedictum sedisse velle, quia non antè sedere cœpit: incommodi nihil (si supremum obeunte diem, *subtractoque ab hac luce Leone*, Ioanna primùm, dein Benedictus subrogati, ubique verò numerorum notæ ab exscriptoribus Romano clero addictis interpolatæ fuisse dicantur) sequi. Meminerit tamen lector, ut *Leone obeunte*, *cùm hac luce subtractus est Leo*, post bimestrem, vel *duodecim* (ultra *binos* à Leonis obitu menses) dierum *vacationem* successerit Benedictus, (si quis alius intermedius, biennio toto, & quod excurrit, sedisse dicatur) fieri nequaquam posse. Non enim *Leone*, sed *Ioannâ obeunte*; non *cùm subtractus Leo*, sed *cùm hac luce excessit Ioanna*; non *post duos* à Leonis dormitione *menses*; sed post occupati ab alio

biennii moram, ſedere cœperit Benedictus.

At omnem fortaſſis, qui poſtremus omnium ſub ipſius hodierni Pontificis oculis Romæ ſcripſit, elabendi viam præcidit Allatius. Is enim ex anonymi, qui anno Formoſi primo publicam lucem primùm vidit, libelli verbis, argumentum multiplex expreſſit, cujus vi ad extremas (ſi Deus conatibus arriſerit) Ioannæ patroni incitas adigantur. 1. Ut probet *inter annorum quadragintaquinque*, quem libellus ille conſignat, *numerum, annos illos quos Ioannæ tribuunt non contineri*; ubi ſequentia quæ minimè neganda ſunt adſtruxit, *à primo Leonis ad primum Nicolai undecim tantùm annos fuiſſe, ab eodemque Nicolai primo ad Formoſum triginta quatuor* effluxiſſe, confeſtim ſubjungit; *Si duos annos & menſes Papiſſæ addas, alius erit numerus locupletior excommunicationis Photii, ſed mendax & impudens, ſed præter rationem temporum.* Hujus verò conſequentiæ laqueis quo modo, qui ex *undecim* illis *annis* partem Leoni, partem Ioannæ, partem Benedicto decidendam autumant, conſtringantur, non video. Quid enim, ſi *octennium* non expunxerit Leo, quæ Mariani ſententia eſt? Quid ſi (ex Urſpergenſis mente) *eodem quo electus eſt anno, deceſſerit Benedictus?* Quid ſi (prout volebat

volebat Krantzius) *anno ſecundo nondum expleto, in partu perierit Ioanna?* Annon Leonis, Ioannæ, Benedicti *undecennio* facilè tempora concludentur? Quis ſe ſolennem Mariani ſequacium cantilenam auribus hauſiſſe negare audeat, veteres, quos deteſtandi ſcorti memoriam refricare puduit, productis ad libitum Leoniani, Benedictinique pontificatûs annis lacunam expleviſſe? An vero neceſſe eſt ut qui in circumſcribenda rei quam contigiſſe credunt duratione, errorem quemlibet incurrerunt, nonniſi falsò rem contigiſſe aſſeverent?

Secundo loco notat Allatius, *augere vim argumenti non ſolùm nomina, ſed etiam numerum pontificum expreſſum*, ὑπὸ τῶν ἐννέα προέδρων τῆς Ῥώμης. Quî verò? *Ratiocinare.* (inquit) *Photius fuit excommunicatus à novem pontificibus*, Leone, Benedicto, Nicolao, Hadriano, Ioanne, Marino, Hadriano altero, Stephano, Formoſo *per annos quadragintaquinque*; Ergo *Ioannes iſte qui ponitur inter Leonem & Benedictum non fuit: aliàs præter annorum numerum auctum, ipſe etiam pontificum numerus augeretur.* Probè ſanè conficitur *Ioannem* πρόεδρον *non fuiſſe*: ſed nec ex illis qui Romano throno ſummum ultra biennium eâ ſedente illatum revera dedecus putant, πρόεδρον fuiſſe quiſ-

quam dixerit. Negabit tamen pro ſuo jure, ſequi, *Si πρόεδρος non fuit, eam plane non fuiſſe*: fuerit enim (ex hypotheſi) *Papiſſa*, non *Papa*; *προέδρου larva*, non *πρόεδρος*. [1] 1 Sam. 10. 11. 19. 24. Quis [1] *Saülem* aliquando *inter Prophetas* non Prophetam fuiſſe; Pſeudo-Smerdem *inter Perſarum reges*, non regem, Conſtantinum *inter Papas*, non Papam erepſiſſe; *anſerem inter olores* ſtrepere, neque Cygnéos ſonos referre, neque candorem poſſe neſciat? Nemo (ni fallor) ſic ratiocinantem tulerit, *Claudii Ptolemæi Canones, decem Perſarum reges numerant, nomina ſingulorum edunt, clariſſimæ Monarchiæ durationem ducentis tribus annis concludunt*: Ergo *Magos Cambyſis regiam invaſiſſe, regiâ menſibus aliquot poteſtate abuſos negant; aliàs præter annorum numerum ipſe etiam regum numerus augeretur*. Cui verò gemellus Allatii paralogiſmus imponat? *Anonymus Conſtantinopolita novem ab anno Domini* 847 *ad* 891, *Romanorum προέδρους numerat, non plures*: Ergo *inveteratam de Ioànnæ pontificatu opinionem convellit*. Potuerit enim (ſi opinionis illius patronos audiamus) de Romanæ Eccleſiæ præſidibus locutus, eorum albo ſciens volens Ioannam expungere: imò debuerit, nè, labefactatâ per imprudentiam ſummam quam propugnabat cauſsâ, irridentium Photianorum cachinnos commoveret;

moveret; fœmineoque, id eſt impotenti, brachio contortum memoraret in Photii caput excommunicationis telum, ceu ſtramina quæ *turbata volent rapidis ludibria ventis.*

Addit Allatius, *Octavæ Synodi breviarium in proſpectu omnium fuiſſe*; Latinos, ſi Romanæ Eccleſiæ gubernaculis unquam aſſediſſet Ioanna; *Græcos de mendacio arguturos; numerum annorum & Pontificum decurtatum motâ lite objecturos fuiſſe.* Quaſi vero ex eorum cenſu Romani ad hoc ævi fuerint [1], ὧν ἡ δόξα ἐν τῇ αἰσχύνῃ αὐτῶν, eoſdemque adeo deſipuiſſe neceſſe ſit, ut quod ſempiternâ oblivione delendum nefas dictabat pudor, ſponte ſuâ pudore omni decocto, quò faciliùs perennaret, in Græcorum memoriam revocarent. Quod de ſcortis verè ſenſit Iuvenalis, *nihil* eſſe *audacius ipſis deprenſis, iram atque animos ex crimine* ſumere ſolere, in iis quos ulla famæ cura tangit fidem nunquam inveniet: cùm enim à quocumque *deprendi miſerum* videatur, à ſemet datâ operâ prodi longè miſerrimum fuerit. Ut igitur conſultò præteritam, à Græcis Romanorum προέδρων catalogum texentibus, Ioannam fuiſſe demus, non ideo à Latinis quorum honori cedebat Conſtantinopolitanos ob ſilentium lite pulſandos fuiſſe, luce meridia-

[1] Phil. 3. 19.

nâ clarius eſt. Meminerit etiam lector ad *Concilii octavi*, quod anno Domini 869, *in proſpectu omnium fuit breviarium*, pontificum, qui ab anno Domini 847, ad 891 ſederunt, ſeriem longè poſtea deductam, cujus auctoritate nititur Allatius, nihil pertinere.

Hoc denique argumento pugnat Allatius idem: *Cum circa initia Benedicti* exauctoratâ Theodorâ matre, *veneranda adorandaque religionis myſteria perditâ audaciâ contaminaret Michaël, nec erubeſceret jactare ſacrilegus*, mihi Theophilus, Cæſari Photius, Chriſtianis Ignatius factus eſt Patriarcha; *quis continuiſſet hunc hominem, ſi Ioanna in throno Petri ſediſſet, ne adderet*, & Ioanna Romanis, *ut externorum ludibrio & exemplo ſua flagitia comprobaret? Certè Romanæ Eccleſiæ reverentiâ non feciſſe, ſecuta docent* ob Ignatii depoſitionem, Photii intruſionem, Nicolai Papæ legatorum prævaricationem *jurgia*, &c. Ac quibus Ioannam Romæ ſediſſe perſuaſum eſt, facilè regerent. 1 Michaëlem (Nicolao Papâ [1] fatente) *ab injuriis & convitiis epiſtolam inchoaſſe*, in Nicolaum ipſummet, *primamque & magiſtram Eccleſiarum omnium locutum, ad Eccleſiæ Romanæ injuriam, ad ipſius privilegiorum imminutionem, ad ſedis Apoſtolicæ præſulum derogationem*, ſcripſiſſe, [2] *Michaëlem*

[1] Epiſt. 8.
[2] Epiſt. 70.

chaëlem protoſpatharium cum epiſtolâ injuriis plenâ Romam *direxiſſe* : Nicolaum verò *injurias ſuas non curaſſe, ad nonnulla quæ in ipſa ſuperfuerunt epiſtola nihil reſpondiſſe, ſed potiùs philoſophando contempſiſſe,* cùm *plena eſſent omni pravitate & blaſphemiâ, & contra ipſam diſpoſitionem Dei venena diffunderent:* Quò probabile ipſis fiat, naſutum pontificem pudenda quædam, quibus eluendis imparem ſe ſentiret, (verbi gratiâ Ioannæ Papatum, ſtuprum, partum) conſultò prætеriiſſe; quodque factum negat Allatius, factum inſinuaſſe. Obſervabit tamen lector immediatum Nicolai ſucceſſorem Hadrianum, illo in quo alii hærere videntur vado nos expedire, cum ſuam Nicolaique indignis modis à Græcis proſciſſam famam diſertè moneat: *linguam* (inquit) [1] *ſuam more ſerpentis exacuit, vitam ſcilicet deceſſoris mei beatæ recordationis Papæ Nicolai laceſſere nullo modo metuens; nec nobis qui ejus vix digni famuli, ut non dicam ſequaces, exiſtimus, parcere utcunque conſentiens, ſed utroſque maledictis impetere quantum in ſe fuit, & blaſphemis inficere verbis exiſtimans, falſitatis præſtigia fingere conatus, & neſcio quæ Pythonica eſt ſomnia vel argumenta compilando proculdubio commentatus*, &c. [2] *omnis mendacii figmenta ſolito more congeſſit; atque tam contra deceſſorem meum ſanctæ recorda-*

[1] *Allocut. 1. ad Synod. Romanam. Concil. 8. act. 7.*

[2] *Cap. 3.*

tionis Papam Nicolaum ; quàm etiam contra nos , ac per illum in Apostolicum culmen , nec iniquâ garrire fauce trepidavit. 2 Ex ipso, quem *Concilii octavi breviarium* credidit, libello constare, [1] quo tempore Michaël *sibi Theophilum* scurram, *Cæsari* Bardæ *Photium* , *Christianis Ignatium Patriarchatu fungi* jactabat, Ioannam Romanum pontificatum nec tenuisse nec tenere potuisse; siquidem anno Domini 855, Benedicti primo , Michaël Bardæ nondum Cæsaris impulsu Theodoram matrem in ordinem coëgit , [2] anno 858, Ignatii undecimo, Nicolai primo , tertio post Ioannæ (si verè fuit) funus, in ipso Domini natali Patriarchatum invasit Photius : 859 Cæsar salutatus est Bardas ; ut palàm ἀβλεψίαν suam pudendamque ἀνιστορησίαν prodant, quibus Michaëlem de Theophili sui prophanis ausibus gloriantem , Ioannam (si fuisset unquam) tunc temporis Romanorum patientiæ insultantem, suo sceleri obtendere potuisse in mentem venit.

[1] ἕνδεκα ἔτη ἀνεθεματίζετο κοσμικὸς ὤν.

[2] *Vita Ignatii.*

IV *Indubii veritatis characterismi.*

SEd præstat ex Ludovici Pii, Lotharii-que filii Imperatorum, Sergii , Leonis, Benedicti, Nicolai Paparum ; Otgarii denique

nique Moguntini fatalium dierum accuratâ ſubnotatione indubitati veri lumen eruere, cujus exortu fabulatorum omnium tenebræ dispellantur.

Ludovicum Pium anno Domini 840, Iunii 20 feriâ primâ, die ab eclipſi Solis (quæ Maji quintâ, Dominicæ aſcenſionis vigiliâ contigit) quadrageſimâ ſeptimâ, ſupremum obiiſſe diem teſtantur, auctor vitæ Ludovici, Annales aſtronomi coævi, Annales Bertiniani, Hildesheimenſes, Fuldenſes, Rhegino, Nithardus, Hermannus Contractus, Lambertus Schaffnaburgenſis, Hepidanus, Marianus Scotus, Aimoinus, Sigebertus, Godefridus Viterbienſis, Ioannes Aventinus, Huldricus Mutius, Magnum Chronicon Belgicum, Siffridus presbyter, Faſciculus temporum, Chronicon Laurishamenſe, &c. Annales Metenſes, ut de die & menſe conſentiant, alium annum aſſignant, nempè 839.

Lotharium imperatorem Prumiæ anno Domini 855, Septemb. 29, Epitaphium à Rhabano ſcriptum, Ado, Annales Bertiniani, Metenſes, Hildesheimenſes, Fuldenſes, Regino, Hermannus, Lambertus, Marianus, Sigebertus, Godefridus, Siffridus Presb. Chronica Auſtralis, Faſciculus, Blondus, Egnatius, Aventinus, Mutius, &c. deceſſiſſe docent.

Sergius secundus sedit à Februarii 10 feria 1, anni 844, ad April. 12. fer. 3. anni 847, annis 3. mensib. 1. dieb. 2. Vide Annales Bertinianos, Anastasium, Luitprandum, Marianum, Sigebertum, &c. Hermannus ab anno 843, ejus pontificatum inchoat, sed idem ad A. D. 846 Leonis IV exordium refert, utrobique falsus.

Leo IV, quem malè quintum Sigebertus & alii vocant, ipso Sergii II obitûs die electus April. 12. fer. 3. Maii sequentis 24 feria 1. demum coronatus, anno 855 Iulii 17. fer. 4. decessit. Itaque sedit *annis* (si ab ejus electione initium fiat) *octo, mensib.* 3. *dieb.* 5. à coronatione *annis* 8. *mense* 1. *dieb.* 21. Vide Martyrol. Rom. ad 16 Kal. Augusti, Anastasium, Marianum, qui *octennium* præcisè ei perperam tribuit, falsoque supremum diem in *Augusti Kalendas* confert, Bertinianos Annales secutus, Sigebertum, Honorium Augustodunensem, Godefridum, & compilationis Chronologicæ scriptorem, qui ad *menses* 5 ultra *octennium* ejusdem pontificatum producunt; Luitprandum, Albertumque Stadensem, qui interversis dierum & mensium numeris, octennio *menses sex, dies* 3 addunt; Fasciculum, Chronici magni Belgici rhapsodum, qui ex Bernardo

Gui-

Guidone 17 *Kal. Augusti* denatum statuit.

Benedictus III, anni 855, Iulii 19, feria 6, vel (ex Magni Chronici Belgici & Bernardi Guidonis sententia) 21, fer. 1. electus est, tertio Kal. Octob. feriâ primâ incardinatus, sedem ad April. 8, anni 858, tenuit per *annos* 2, *menses* 8, *dies* 10, ab electione; vel *annos* 2, *mens.* 6, *dies* 10, à coronatione. Vide Annales Bertinianos, Anastasium, Luitprandum, Honorium, Godefridum, Fasciculum, Albertum Stadensem, Westmonasteriensem, &c. Marianus de pontificatûs annis consentit, ut ut malè eos ab anno 857 inchoet, & Sigebertus æque absurdè ab anno 854. Hermannus, quia Leoni IV *novennium* cum epimetro tribuit, in editione Coloniensi ejusdem exordium ad annum 846, decessum ad 856 refert. Urspergensis, Hermannum ex parte secutus, Leonis ejusdem annos ultra *decennium* protendit, Benedicti tempus intra *anni* metas constringit, quoque seriùs & Leonis dormitionem, & Benedicti inthronizationem memorat, eò expressiùs Ioannæ patronis adversatur. Pessimè omnium Compilationis Chronologicæ scriptor anonymus Leoni *annos* 8, *mens.* 5, ab anno 844 inchoandos, Benedicto præcisè *duos* assignat, quos ab anno 856

856 auſpicatur, Paulo neſcio cui *annos* 10, *ac menſes* inſuper 2, largitus; nec minus Nicolai exordia ab anno 860 arceſſit. Valeat itaque maleferiatum caput.

Nicolaus I ab anni 858. April. 24, feria 1. ad Novemb. 13, anni 867, per annos 9, menſes 6, dies 20 clavum tenuit. Vide rurſus Annales Bertinianos, Anaſtaſium, Luitprandum, Annales Fuldenſes, Hermannum, Honorium, Faſciculum, &c. Sed malè Sigebertus ejus annos ab anno 857 arceſſit; errore pari Regino diem obitûs ejuſdem in annum 868; Marianus in 869 conferunt; Compilatio Chronologica abſurdiùs illi annos 10, menſem 1, ab A. D. 860 inchoandos tribuit.

Otgarius Moguntinus A. D. 847, April. 21, defunctus, Rabanum ſucceſſorem habuit Iunii 26 feria 1. Vide Annales Fuld. Hermannum, Lambertum, Marianum, &c.

Hîc inſerendæ ſunt Tabulæ.

Ex

Refer ad paginam 44.

V. *Sententiæ Mariani & Sigeberti* ἀνάκρισις.

Poſtquàm Allatium magno conatu nihil egiſſe patuit; ſupereſt ut quàm tutò Mariano Sigebertoque primis Ioannæ aſſertoribus adhibeatur fides, videamus. Corruptos utriusque & Martini codices cauſabitur cui lubet; nobis eos vel ἀσύστατα loqui, vel perſpicuè falſa venditare, docuiſſe ſatis erit.

Anni Domini.	Anni Lotharii ſenioris.	Anni Leonis.	*Sententia Mariani.*	Ανάκρισις.
844	4		Sergius 101 Papa poſt Petrum, ſedit annis 3.	Sedit à Febr. 10, fer. 1 A. D. 844 ad April. 12, fer. 3 Anni 847, annis 3, menſe 1, dieb. 2. vide ſup.
847	7	1	Otgarius Moguntinus Archiepiſcopus obiit. Rabanus Abbas Fuldenſis ſibi ſucceſſit. Hattho fit Abbas. Sergius Papa obiit. Huic ſucceſſit Leo, annis 8.	Leo IV ipſo Sergii obitûs die, Aprilis 12, feriâ 3 electus, Maji 27, fer. 6 conſecratus, deceſſit A. D. 855, Iul. 17, fer. 4. itaque ſedit (ſi ab electione initium ducas) annis 8, menſib. 3, dieb. 5. vide ſup.
848	8	2		
849	9	3		
850	10	4		
851	11	5		
852	12	6		
853	13	7	Leo Papa obiit Kal. Auguſti. Huic ſucceſſit Ioanna mulier annis 2, menſib. 5, dieb. 4.	Si poſtquam Leo 4 Kalendis Auguſti anni 853 deceſſit, annis 2, menſib. 5 dieb. 4 ſedit Ioanna, ultra anni 856 metas ejus Pontificium protrahi nequaquam poteſt. fac enim (quod Albertus Stadenſis & Weſtmonaſterienſis diſertè negant; nec cum feriæ primæ in 29 Septembris incidentis charactere, quo dies incardinationis Benedicti inſignitur, aut cum legatione Lotharii Anaſtaſium Benedicti æmulum ſubmoventis componi poteſt) poſt menſium 5 interpontificium anni 854, Ianuario menſe Leoni ſuffectam Ioannam: perierit certè anni 856 menſe Iunio; vacaveritque ab ejus obitu ſedes menſib. ad minimum ſex, quod nemo hactenus ſomniavit. 2 Quem pontificatûs anno 7 currente deceſſiſſe ſtatuit, annis octo ſediſſe perperam ſecumque pugnans ſcribit Marianus. 3 Nec Kalendis Sextilibus anni 853, quô Concilium Epiſcoporum 67 Romæ Decembris 8 congregavit, ſed anni 855 Iul. 17 denatus Leo.
854	14	8		Hoc annô Leopolim duodecim à Centum cellis milliaribus diſſitam conſecravit Leo. vide Anaſtaſ.
855	15 Lotharii junioris. 1		Lotharius Imperator convocatis primoribus regni, imperium inter filios diviſit. Ludovico quidem Italiam tradidit, eumque Imperatorem nomine ſuô appellari fecit: Lothario vero regnum, quod ex ſuo nomine vocatum eſt, conceſſit. Carolo autem juniori ipſorum, Provinciam mandavit. Qui ita diſponens, ſeculum reliquit, & in Prumiam monaſterium venit: poſtquàm habitum ſanctæ converſationis accepit Monachorum, eod. anno 3 Kal. Octobris obiit.	De diviſione regni, monaſtices profeſſione, obitûs Lotharii tempore convenit inter omnes. Notandum tamen ex Adonis, Anaſtaſiique in Sergii 2 vita epilogiſmis, Ludovicum Italiæ gubernaculis ad finem anni 843 vel initio 844 à patre admotum, quicquid in contrarium Marianus Reginonis veſtigia ſecutus aſſeveret. Sic enim Ado: *Non multò poſt* (quam *in quadam Sequanæ inſula* cum fratribus anno 843 convenit Lotharius) *filium ſuum Ludovicum quem in Italiâ regem fecerat, ut Imperatoris nomen ſortiretur per Drogonem patruum Romam miſit. Cui Sergius jam tunc Pontifex coronam impoſuit, acclamante univerſo populo Imp. & Auguſtus eſt ſalutatus.* Paulò diverſus abit Anaſtaſius: *Dominico die*, Ludovici cum Drogone propatruo adventum ſequente, *almificus Pontifex manibus ſuis ipſum Hludovicum Lotharii Imp. filium, oleo ſanctô perungens, regali ac pretioſiſſimâ coronavit coronâ; regemque Longobardis præfecit*, &c. *à prædicto poſtulaverunt pontifice* Franci *ut omnes primates Romani fidelitatem ipſi Hludovico regi per Sacramentum promitterent, quod prudentiſſimus Pontifex fieri nequaquam conceſſit*: ei ſcilicet jus imperii negabat quem *in regem Longobardorum* tantùm *inunxerat.* quod Sergius improbavit, quinquennio poſt præſtitit Leo IV, quandoquidem Concilium Romanum annum 853 cum *imperii Ludovici quinto* componit, Ticinenſe 854 cum 6. Cum etiam ex Anaſtaſ. *Luitprando, Sigeberto, electionis Benedicti decretum Lothario Imperatori deſtinatum* conſtet: noſque diſertè moneat Ado Benedictum *jam defuncto Lothario* ſediſſe: velit nolit Marianus, Ioannam ſuam ſolio deturbare, Benedicti pontificium ab anno, quo mortalitatem explevit Lotharius, auſpicari cogitur.
856	2			
857	3		Benedictus 103 Papa poſt Petrum, ſedit annis 2, menſib. 6, dieb. 6.	Si Benedictus anno 857, biennii & quod excurrit adminiſtrationem inchoavit; ejuſdem annô 859 pontificium deſierit, quoque ſeriùs incardinatum volet Marianus, eò longius poſt elatum circa anni 856 Kal. Iunias, prout ipſius hypotheſes exigunt, Ioannæ funus interpontificium ſtatuere cogetur. fac enim anni 857 Ianuario menſe electum Benedictum; vacaverit poſt infelices Ioannæ exequias, à Kal. Iuniis anni 856, ad 857 carceres, per integrum ſemeſtre Romana ſedes; quod cum veterum calculis ſtare nequaquam poteſt. ſi rurſus à Kal. Ianuariis anni 857 *annos 2, menſ. 6, dies 6* numeraveris, deſinet calculus in Quintilem anni 859; ut neceſſe ſit novum menſium ferè ſex interpontificium ſomniare, priusquam ad Nicolai primordia devenias: quod quid aliud eſt quàm ſtrenuè nugari? Sedit autem Benedictus à 3 Kal. Octobris fer. 1 per *annos 2, menſ. 6, dies 10*, in 8 Aprilis 858 deſinentes; nec à vero nos aberrare ſinit feriæ 1 in 3 Kal. Octob. anno 855 incidentis character, ipſaque Hincmari miſſis ſuis (dum Romam pergerent) Leonis IV obitum innotuiſſe, antequam eò perveniſſent Benedictum Leoni ſubrogatum fuiſſe aſſerentis teſtificatio.
860	5		Nicolaus 104 poſt Petrum, ſedit annis 8, dieb. 9.	Nicolaus anno 860 electus, poſt *annorum 8 & dierum 9 ſedem*, anno Domini 868 vel ineunte, vel medio, vel exeunte, (quod Mariano credibilius viſum) è vivis exceſſerit, ſi anni 860 initio, vel circa medium, vel ad finem incardinatus fuerit. quid igitur anni 869 Decembri menſe defunctum deliranti Mariano fiet? meminerit autem lector Nicolaum anni 858, April. 24, feriâ 1, ad Novembris 13, 867, prout ſuprà docuimus, pontificatu functum.
869	14		Sanctus Nicolaus Papa, obiit 8 Idus Decembris.	Si Nicolaus anno 869 *Decemb. 6* deceſſit, ſedit autem *annis 8 dieb. 9.* ab anni 861 *Novembris 26 feria 6*, non ab anno 860 indefinitè inchoandum ejus pontificium fuit. ſi rurſus anno 860 Benedicto ſuffectus *annis 8 dieb. 9*, clavum tenuit, malè fingitur anni 869 Decembrem delibaſſe: octavus enim ejus annus (undecunque initium ducas) in 868 deſinet. Cum igitur Marianum toto cœlo errare conſtet: audiendi, Anaſtaſius qui Nicolaum *ex hac luce Idus Novemb.* [1] *indict. 1 migraſſe* monet; Guillelmus Bibliothecarius, qui Hadrianum II *Dominica ſecundùm morem, ab univerſitate ad Eccleſiam ſancti Petri Apoſtolorum principis ductum* [2] *19 Kal. Ianuarii, indict. 1, anno* Hludovici *Auguſti 19* diſertè ſcribit; Annales Fuld. qui anno 868 hæc notant: *Hlutharius Rex Romam profectus ſummo ſtudio niſus eſt VValdradam cum conſenſu & favore Nicolai Pontificis ſibi matrimonio conjungere; ſed eum jam defunctum reperiens, in Beneventum ad fratrem ſuum Hludovicum perrexit, & hujus copulæ fautorem illum fore poſtulavit apud Hadrianum, qui Nicolao in Pontificatu ſucceſſit.* Conſulendæ etiam Hadriani II annô 868 ad varios ſcriptæ epiſtolæ: ad Synodum Trecis congregatam *Febr. 2*; ad Ludovicum regem & Epiſcopos Germaniæ *Febr. 12*; ad Actardum Nannetenſem *Febr. 27*; ad Hincmarum Rhemenſem & Erardum Turonenſem *Mart. 6*; ad Carolum regem *Mart. 7*; ad Baſilium Imperatorem Ignatiumque Patriarcham *Aug. 1*. Legenda item ab ipſomet Hadriano A. D. 869, *Iunii 10*, ad eundem Ignatium epiſtola. Habenda inſuper ratio Synodi eodem tempore Romæ adverſus Photium congregatæ, ut & *octavæ*; quam [3] *anno 3 Conſulatûs amicorum Chriſti, & piiſſimorum Imp. Baſilii & Conſtantini perpetuorum Auguſtorum indict. 3, menſe Octobri, die 5, feriâ 4, propoſitis pretioſis & vivificis lignis & intemeratis ſalutis noſtræ Euangeliis, in dextris partibus Catechumeniorum nominatiſſimi templi ſanctæ & magni nominis Sophiæ, convenientibus autem* * *Donato & Stephano Deo amabiliſſimis Epiſcopis, & Marino venerabili Diacono locum tenentibus Hadriani ſanctiſſimi & beatiſſimi Archiepiſcopi ſenioris Romæ* inchoatam docent acta. Denique cum annales Bertiniani, Regino, Hermannus, Lambertus, &c. Lotharium anno 869 Romam Benevento profectum, in reditu *Placentiæ 7 Idus Auguſti* fer. 2, diem extremum clauſiſſe teſtentur; fieri non poteſt, ut *ab Hadriano Pontificè honorificè ſuſceptus ſit*, ſi Nicolaus ad *Decembris 6* vitam produxit.

[1] *Nota charact. anni 867.*
[2] *Nota rurſus alium anni ejusdem charact.*
[3] *Nota characteres anni 869.*
* *Donatus Oſtienſem, Stephanus Nepeſinam, Marinus Romanam, poſt Ioannem VIII, Eccleſiam rexit. Vide Concil. Rom. ſub Hadriano.*

Notabit interim φιλαλήθης lector, ſuam exemplaribus illis quæ ſinceriora prædicat Roma fidem conſtare non poſſe. Nam ſi verè ex Mariani mente Leoni IV Benedictus anno demum 857 ſucceſſit, nec ullus Ioannæ reſervandus locus fuit, non *octennium* ſed *decennium* Leoni A. D. 847 in Sergii II locum cooptato aſſignandum fuerit; fruſtraque Nicolai pontificatum triennio ſeriùs quàm res exigit & inchoari & finiri, clarum erit. Ne igitur inſanam Mariano temerè omnia turbandi libidinem affingamus, ſemel eum in Ioannæ gratiam ſomniaſſe, quàm perpetuo delirio laboraſſe, credere malumus. Ab eo diſcedit Sigebertus, nec ipſe qualis editus eſt à labe immunis. ſic enim ad A. D. 844, & ſequentes, in editis omnibus habet.

Anni Domini.	Anni Lotharii ſenioris.	Anni Theophili.	*Sigeberti ſententia.*	Ανάκρισις.
844	4	14	Sergius Rom. Eccleſiæ 100 præſidet, &c.	Rectè.
847	7	Michaëlis. 2	Leo quintus Rom. Eccl. 101 præſidet.	Malè *quintus* vocatur, qui reverâ *quartus* fuit.
854	14	10	Ioannes Anglicus. fama eſt hunc Ioannem fœminam fuiſſe, & uni ſoli familiari tantùm cognitam, qui eam complexus eſt, & gravida facta peperit Papa exiſtens. Quare eam inter Pontifices non numerant quidam; ideo nomine numerum non facit. Hincmarus Rhemorum Archiepiſcopus in Francis claret, qui vitam ſancti Remigii ſcripſit. Benedictus Rom. Eccl. 102 præſidet: hoc conſpiratione malignorum depoſito, Anaſtaſius præſulatum invadit; ſed Anaſtaſio à legatis Imp. Lotharii dejecto, & in carcerem truſo, Benedictus honorificè relocatur.	Vix quicquam in tota hac periocha ſani. Nec enim Benedictus ad Papatum anno Domini 854 evectus eſt; nec ei tunc locum fecit Leo: nec niſi *defuncto Lothario* præſedit, prout nos ſuprà monuit Ado: nec ſi vivente Lothario A. D. 854 præſediſſe dicatur, ullus Ioannæ Pontificio locus reliquus fiet: nec aſſignatâ Ioannæ eidem 29 menſium ſede, ut anno 852 Leoni IV ſucceſſiſſe fingatur, integrum Leoni *ſexennium* ſupererit; quem *octennio* & quod excurrit clavum tenuiſſe apud antiquos omnes in confeſſo eſt. Cùm igitur interjectum inter Ioannæ Benedictique nomen Hincmari elogium depravati loci ſuſpicionem augeat: in Alberico, Vincentio, Guill. Nangiaco, &c. perpetuis Sigeberti exſcriptoribus Ioannæ ejuſdem deſideretur mentio: ipſiſque eadem Sigeberti hypotheſibus adverſari videatur, minùs eorum ſententiæ repugnandum fuerit, qui Sigeberti manuſcriptis, ſive à Galfredo Monumethenſi, ſive ab aliis infartam volunt.
855	15	11	Lotharius Imp. partito inter filios regno abrenuntiat ſeculo, & in Prumia Monaſterio habitu monachali ſuſcepto, non multò poſt dormivit in Domino, &c.	Rectè: hoc autem Ioannæ ſedem quaſi impacto ariete concutit, prout ſuprà monuimus.
857	Ludovici. 2	13	Nicolaus Rom. Eccl. 103 præſidet; cujus ordinationem Ludovicus Imp. ſuâ præſentiâ roboravit.	Contigit id April. 24, feriâ 1: neque feriæ character patitur ut antè annum 858 factum credamus.
868	12	24	Hadrianus Rom. Eccl. 104 præſidet.	Rectè: conſecratus enim A. D. 867, Decemb. 14, fer. 1, nec niſi Decembri medio anni 868 deſiit annus ejus primus.

Benè habet quod nec Sergii, nec Leonis, nec Ioannæ, nec Benedicti, nec Nicolai annos, ne in arcto eſſe cogeretur, ſive Sigebertus, ſive Sigeberti interpolator determinavit. fieri tamen per eum alioſque omnes Ioannæ patronos non poſſe ἀναντιῤῥήτως probavimus, ut Benedictus anno Domini 854 ſedere cœperit. Cùm igitur intento in veterum fontes digito, Mariani Sigebertique nævos ὀφθαλμοφανῶς demonſtraverimus, ſupereſt ut ex accuratioris Chronologiæ calculis, confeſſisque hiſtoriæ principiis, indubitatum verum pleniùs aſſeramus.

VI. *Ta-*

Ex ſuperioribus, Anaſtaſium, qui *Lothario Imperatore* vivente, *hac luce ſubtracto Leoni IV*, *mox* atque *illico* ſuffectum, ac exinde *Septembris* 29 *feria* 1, inthronizatum Benedictum III ſcripſit, Ioannæ fabulam ignotam prorſus fuiſſe, ab ejuſdemque aſſertione Anaſtaſio longiùs abeſſe neminem conſtare potuit. Non deſunt tamen, ut nominis, ſic meriti longè maximi viri, qui eum inter Papiſſæ præcones familiam duxiſſe velint, hoc uno argumento freti, quòd cùm nullos ferè niſi à fine mutilos, (utpotè in Leonis IV elogium deſinentes) Gallia, Germania, Italia, Hiſpania, Britannia, Belgium, Manuſcriptos Anaſtaſii codices reconditos habeant, fieri verò nequeat, ut unum idemque ipſis ubique locorum caſu vulnus inflictum ſit, nonniſi dolo malo, & obliterandæ de Ioannæ Pontificatu, quam conſervaſſe ſuſpicantur, memoriæ ſpe corrupti videantur. Ego contrà, quamvis peſſimo conſilio decurtatos fuiſſe fatear lubens; eo, quem putant fine, vel detruncatos fuiſſe vel detruncari potuiſſe, hoc ipſo nomine pernegare cogor, quod ex integris quotquot ſuperſunt Anaſtaſii codicibus, univerſiſque coætaneis tam Græci quam Latini ſermonis ſcriptoribus, & ſupparibus Guillelmo Bibliothecario, Flodoardo, Luitprando, Hermanno, &c.

Poſt annos decem addita ab auctore A. D. 1647.

&c. quorum omnium conſpirantia ad miraculum teſtimonia mutuo ſeſe patrocinio muniunt, nullam Ioannæ, quam nunquam niſi inter *Entia rationis* fuiſſe demonſtravi, mentionem vel reipſa à quoquam factam, vel jure fieri debuiſſe certum eſt. Nec univerſa inedita exemplaria malignâ tenebrionum malè conceptis figmentis ſuave indormientium manu extremâ ſui parte deminuta fuiſſe vel hinc liquet, quod in vetuſto Thuanæ Bibliothecæ codice, ad imam poſtremæ, quâ Leonis quarti vita clauditur, paginæ oram æquè antiquo, imò exſcriptoris ipſiuſmet charactere, non Ioannæ, de qua nec Anaſtaſius nec exſcriptor cogitaverant, ſed unius Leoni IV ſubrogati Benedicti III, nomenclatura adjecta reperiatur. Si enim pudenda ſacrilegæ meretricis in Anaſtaſiano opere expreſſa veſtigia (nè deinceps apparerent) quomodocunque deterere animus erat, nihil cauſæ vel in ſpeciem animo effingi poterat, cur Benedicti tertii & Nicolai, quorum vitam nulla (quod ſciamus) infamiæ labes deturpaverat, elogia, unà cum proximè præcedentis Papiſſę hiſtoriâ à reliquo commentarii corpore evellere, æterniſque immeritos cum ſonte tenebris damnare neceſſe eſſet. Si quis igitur hîc conjecturis indulgendi locus eſſe debeat, à naſutioribus Pa-

piſſæ

pissæ patronis destinato consilio resecta sunt ex Anastasiano opere Benedicti & Nicolai Acta, nè ex iis idonea refellendo (quod propugnandum susceperant) commento argumenta acutum cernentes Lectores ad manum haberent. Cui enim rationis compoti qui Leoni anno 855 [1] *Julii* [1] *Anast. in*
17 denato, suffectum [2] *mox* Benedictum, *Leone IV.* [2] *In Bene-*
electionis decretum Lothario Imperatori, nocte *dicto III.*
quæ inter Septembris 28 & 29 intercessit, 74 à Leonis dormitione die vivis exempto, *destinatum* [3]; *Leone Papâ defuncto Be-* [3] *In Nico-*
nedictum miræ Beatitudinis virum & sacra- *lao.*
tissimum Pontificem superno protectum auxilio Romanæ præpositum sedi, Anastasio narrante audienti, non è vestigio suboluisset impostura, subornatumque temerè (ut inter Leonem & Benedictum vel invitâ naturâ sederet) scortum procul facere jussisset? Alios rudiores tanta dementia cepit, ut (susque deque habitâ Anastasianæ historiæ texturâ, quæ nullum inter Leonem & Benedictum medium ferre potest) optime cohærentia à se invicem quo jure quave injuriâ divellerent, rimamque quam impudenti conamine fecerant expleturi, inania exinde ac prorsus ἀπροσδιόνυσα verba infarcire certatim auderent. Hinc factum ut nonnulla Anastasii exemplaria manu exarata, à recentioribus imposturam passis, interpo-

terpolata, & Ioannæ impertinentem mentionem habeant, & præstantissimis verique studiosissimis viris imposturam usque nunc faciant. A.D. plus minus 1600, cùm Augustanæ reipublicæ lumen Marcus Velserus Anastasium nunquam antea editum Albino typographo Moguntino excudendum tradidisset, commendatæ editionis procuratores Iesuitas, literis ad Amplissimum totâque Europâ celeberrimum Marquardum Freherum datis, Heidelbergensium codicum copiam sibi fieri rogarunt, eâ lege ut quicquid communicatis codicibus expressum invenirent bonâ fide publici juris facerent; voti compotes redditi, conditionem nonnisi in speciem impleverunt, eo nomine à Frehero os sibi præter spem penissume sublitum querente publico scripto exagitati, cujus hodie (post direptam Palatinam Bibliothecam, avectamque librariam prædam) nè minimus apex ostendi potest, sed sola in Freherianæ indignationis testium animis restat memoria. Illati literariæ reipublicæ damni jacturam restitui posse, despondere propemodum cogebamur; sed simulac Bibliothecæ Regiæ cura Puteanis fratribus, in studiorum omnium commodum natis, suoque merito Illustribus, commissa est, nova resarciendi damni spes, nec frustra, blandiri

visa

viſa eſt. repertus enim elegantiſſima manu, poſt Martini (in quem deſinit) dormitionem de vitis Pontificum ſcriptus, & centonario opere ex Anaſtaſio, Pandolfo Piſano, Martino Polono recentioribuſque aliis ad annum uſque 1431; quo Martinus 5. Febr. 21 vivere deſiit, conſarcinatus: ex quo ad pleniorem veritatis demonſtrationem ἀποσπασμάτιον ſequens cum ἀνακρίσει hîc apponere placuit.

Ex Bibliotheca Regiæ Manuſcripto, numero 733 excerptum.

SErgius natione Romanus, ex patre Sergio regionis quartæ, ſedit annos [1] tres, &c. poſtquam ſedem Romanam & Apoſtolicam annos tres glorioſiſſime rexit; ex hac luce ſubtractus ad æternam migravit requiem, &c. ſepultus vero eſt in Baſilica B. Petri Apoſtoli, & [2] *ceſſavit Epiſcopatus menſes duos dies quindecim.*

Leo [3] natione Romanus, ex pa-

Ἀνάκρισις.

[1] *Hæc ex Anaſtaſio. ſedit autem ab anno* 844. *Febr.* 10. *feria* 1. *ad* 847. *April.* 12. *feria* 3. *per annos* 3, *menſes* 2, *dies* 2 *Sergius.*

[2] *Hæc ab interpolatore, contra Anaſtaſii, qui non unico die ceſſaviſſe ſcripſit, mentem. ſic enim ille:* necdum is qui obierat pontifex ad ſepulturam debitam fuerat deportatus, & ecce omnes à noviſſimo uſque ad primum una voce, una ſimulque concordia Leonem venerabilem presbyterum ſibi futurum pontificem flagitarant, *&c.* tunc omnes, *&c.* cum hymnis laudibuſque præcipuis ad Lateranenſe Patriarchium perduxerunt, *&c.*

[3] *Anaſtaſius, Leo quartus.*

tre Radoaldo, sedit annos octo [1], menses tres, dies quinque, &c. hujus B. Præsulis tempore terræ motus in urbe Româ per Indictionem [2] factus est decimam.

Obdormivit in Domino, decimo [3] sexto Kalendas Augusti, &c. & cessavit Episcopatus menses duos & [4] dies xv.

Post [5] *hunc Leonem Ioannes Anglicus* [6], *natione Maguntinus* [7], *sedit annis duobus* [8], *mense uno, diebus quatuor, & mortuus est Romæ* [9], *& cessævit Episcopatus mense uno. Hic (ut* [10] *asseritur) femina fuit, & in puellari* [11] *ætate à quodam suo amasio in habitu virili* [12] *Athenis* ducta sic *in diversis scientiis profecit, ut nullus sibi par inveniretur, adeò ut post Romæ . . . . . . legens* [13], *magnos Magistros discipulos & auditores haberet; & cum in urbe vitâ & scientiâ magnæ opinionis esset, in Papam concorditer eligitur: sed in Papatu per suum familiarem idem * imprægnatur. Verùm tempus partûs ignorans,*

[1] *Ab anno* 847, *April.* 12, *feria* 3. *ad* 855, *Iulii* 17, *feria* 4.

[2] *Concurrit cum anno* 847, *Indictio* 10.

[3] *Idipsum Martyrologium Rom. Luitprandus, Albertus Stadensis, &c.*

[4] *Lege, dies XII. totidem enim sunt à Iulii* 17, *feria* 4, *qua denatus Leo, ad Sept.* 29, *fer.* 1, *qua inthronizatus Benedictus.*

[5] *Hæc ex Martino Polono, qui Chronicon ad annum* 1285 *perduxit, deprompta sunt.*

[6] *Leonis IV tempore propria nulla familiarum cognomina fuerunt.*

[7] *Addiderat Martinus,* qui alibi legitur fuisse Benedictus tertius.

[8] *Martinus, ex Mariano,* mensibus quinque.

[9] *Mirum* Romæ mortuum *Romanum Papam.*

[10] *Hæc Anastasio* αὐτόπτῃ *convenire nequaquam possunt.*

[11] *In Martino,* pupillari.

[12] *In Martino,* Athenas ducta fuit, *&c.* ita ut, *&c. Athenis nulla sæculo* 9 *literarum studia.*

[13] *Martinus* triennium, *aliàs* trivium legens; *quæ verba Martini sæculo, quo* trivium, *id est, Grammaticæ, Rhetoricæ, Logicæ, triplex studium institutum erat, lectionum cursus per* triennium *fiebat, qui cursum compleverant* Magistri *solenni more pronunciabantur, optime conveniunt, non Anastasii ætati quæ tale nihil usquam vidit.*

* *Deest in Martino.*

cum de S. Petro in Lateranum [1] *tenderet; angustiata inter* Coliseum [2], *& S. Clementis Ecclesiam peperit, & post mortua, ibidem (ut* [3] *dicitur) sepulta fuit. Et quia Dominus Papa* [4] *cum vadit ad Lateranum, eandem viam* [5] *semper obliquat, creditur à pluribus* [6] *quod ob detestationem facti hoc faciat; nec ponitur in Catalogo* [7] *Pontificum, propter* [8] muliebris sexus *deformitatem* quantum ad hoc.

* Benedictus [9] natione Romanus ex patre Petro, sedit [10] annos duos, menses sex, dies novem, &c.

Leo † quidem hac luce subtractus Præsul occubuit, mox [11] [*enim*] omnis Clerus istius à Deo

[1] *Apud S. Petrum ab A. D. 774, ad* 1000. *& quod excurrit, non Paparum, quorum in Laterano* Patriarchium *& statum domicilium fuit, sed* Missorum *Regiorum fuit habitatio: nec extra Lateranum degentes Pontifices Anastasius vidit, sed Martinus.*

[2] *Alias* Colosseum.

[3] *Si in via & peperit, & periit, & sepulta est, quî factum ignarare potuit, & ex incertis aliorum dictis pendere potuit, ὁμήλιξ & præsens Anastasius?*

[4] *Hæc Anastasio longe recentior, imo post constitutum in Vaticano Pontificum ordinarium domicilium natus, ex necessitate scripsit.*

[5] Eandem *(in qua & peperisse, & sepulta fuisse Ioanna fingitur)* viam obliquare *proprie loquendo dici non potest, qui eam ne ingressus est Papa.* [6] *Hæc rursus recentioris esse necesse est, non Anastasii, qui quod suo tempore factum est ex aliorum opinione haurire necesse non habuit, proprio experimento edoctus.* [7] *Hæc etiam recentioris sunt, qui post auctum plurium capitum accessione Paparum Catalogum vixit.* [8] *Martinus,* tam propter muliebrem sexum, quam propter deformitatem facti.

* *Hic lineas* 6 *ex Anastasiio transcribit compilator, exinde* 8, *omisit, rursus* 2 *arripit, sequentes* 8 *expungit, tertio* 2 *exscribit, sequentes* 7 *præterit.*

[9] *Hæc ex Anastasio plurimis omissis deflorata.* [10] *Luitprand. Honorius Augustod. Godefridus Viterb. Albertus Stadensis, Matthæus Westmonasteriensis, Wernherus Roolwink, &c. revera dies totidem sunt ab anno* 855, *Sept.* 29. *feria* 1. *quâ Benedictus inthronizatus est, & ad* 858. *April.* 8. *feria* 6. *quâ denatus est.* † *Lineas* 24 *exscribit; exinde* 205 *omittit, rursus* 40 *excerpit,* 4 *sequentes expungit, tres rursus exscribit,* 247 *præterit, ac tandem* 13 *postremas describit.* [11] *Vox* enim *redundat, proxime vero præcedens, universorum Ioannæ patronorum machinamentum funditus evertit. si enim quod Anastasius voluit & expresse scripsit resque ipsa exigit,* mox *post* subtractum hac luce Leonem, *Benedictus electus est; post biennium, elatumque Ioannæ funus, nec electus est, nec eligi potuit.*

protectæ Romanæ ſedis, univerſi proceres, cunctuſque populus ac Senatus Domini clementiam congregati ſunt, exorantes ut beatificum illi in omnibus demonſtrare dignaretur paſtorem, qui Apoſtolatus culmen regere valuiſſet tranquille. Qui divinitus æthereoque lumine inflammati, uno conſenſu, unoque eum conamine pro tantis quibus pollebat operibus Pontificem promulgaverunt eligere: illicò verò alacri ſtudio univerſa plebs & populi cœtus in Calliſti titulum [1] properantes, Deo illum omnipotenti, ut ſolitus fuerat, invenerunt fundentem orationem.

Hæc & ſimilia dicens, & ipſi Imperiales ibidem convenerunt legati, qui ſalubribus verbis ac mollioribus cum eodem ſecretius electo confabulabantur. *Nam cum* [2] *eſſet electus, factione* [3] *Epiſcoporum Radoaldi Portuenſis & Arſenii Hortenſis factum eſt, ut à Legatis Imperatorum* [4] *Ludovici & Lotharii,*

[1] Si illico in Calliſti titulum *ad Benedictum electum* properavere *Romani, poſt biennii, & quod excurrit, moram nequaquam dilata eſt ejus electio.*

[2] *Hæc exſcriptoris ſunt, non Anaſtaſii.*

[3] *Factio fuit primum Arſenii Eugubini Epiſcopi, qui Nicolaum Anagnium & Mercurium Magiſtrum Rom. Eccleſiæ legatos in partes traxit: hi Hortæ* (Arſenio cogente Epiſcopo, *illo ſcil. qui primus ſceleris artifex fuerat) cum Adelberto & Bernardo Comitibus Anaſtaſio nomen dederit, acceſſere tandem Radoaldus Portuenſis & Agatho Tudertinus.*

[4] *Quod ex Anaſtaſii mente Imperatorum Legatos Romam poſt electum Benedictum miſſos refert interpolator, Ioannæ patronorum cauſam jugulat. cum enim à Lothario, qui* 74 *poſt Leonis dormitionem die vita exceſſit, miſſi ſint, inter Leonem & Benedictum Leoni Lothario vivente ſuffectum, medius nemo ſive per biennium, ſive ad ſolum momentum ſedit, aut ſedere potuit.*

Cardi-

Cardinales [1] *cogerentur multis injuriis & criminationibus & gladiorum ſuper ſe evaginationibus, Anaſtaſium quem quartus Leo depoſuerat ſibi promovere Pontificem.*

Ceſſavit [2] Epiſcopatus dies XV.

Nicolaus natione Romanus ex patre Theodoſio [3] ſedit annos *ſex*, menſes *novem*, dies XIII.

Ceſſavit Epiſcopatus [4] *annos octo, menſes ſeptem, dies novem.*

Adrianus natione Romanus ex patre Talaro Epiſcopo, ſedit annos [5] quinque, *menſes undecim, dies duodecim.*

[1] *De* omnibus Epiſcopis, *qui* in Æmilianæ titulo *cum Clero & plebe Septembris* 23, *feria* 2. convenerant, *hæc Anaſtaſius* : Auguſti [*Ludovici*] legati, *&c.* erectis jaculis eos conabantur elidere enſibuſque punire. *de Rom. Eccleſiæ* Cardinalibus, *nihil : hoc unum ad* Cardinales *ex hodierno uſu trahi poſſit, quod* Oſtiæ & Albani Antiſtites introduxerunt, *&c.* quibus ſtridula voce dicebant, nullatenus vitam poſſidere poteſtis, ſed capitali ſubjacebitis ſanctioni, niſi conſecrationis Anaſtaſio gratiam dederitis : *ſed hoc nihil ad Ioannam.*

[2] *Hæc ex Anaſtaſio recte. deceſſit enim Benedictus A. D.* 858, *April.* 8, *feria* 6. *ſuffectus Nicolaus ejuſdem menſis April.* 24, *feria prima: quod Mariani aliorumque Ioannæ patronorum calculos evertit.* [3] *Anaſtaſius ex patre Theodoſio Regionario ſedit annos novem, menſes* 7, *dies* 20, *quod certiſſimum eſt. electus enim Nicolaus A. D.* 858, *Aprilis* 24, *feria* 1, *deceſſit anno* 867, *Novemb.* 13, *feria* 5. [4] *Biduo ceſſavit. obiit Nicolaus A. D.* 867, *Novemb.* 13, *feria* 5. *proxime ſequenti dominica, Novemb.* 16, *Hadrianus ſecundus electus, Decembr.* 14, *feria* 1, *conſecratus eſt. Anaſtaſio enim teſte,* ex hac luce Idus Novembris Indictione prima [*quæ anno* 867, *à Septembri inierat*] migravit ad Dominum Nicolaus. *Guilielmo vero qui Hadriani vitam ſcripſit, referente,* Sabbato peractis rite orationibus, vigiliis & eleemoſynis, Dominico ſecundum morem. *Hadrianus* venerabilis ſacerdos ab univerſitate ad Eccleſiam S. Petri Apoſtolorum principis ductus 19 Kal. Ianuarii, Indictione prima, anno [*Ludovici*] Auguſti 19, per Epiſcopos, *&c.* benedictionem ſummi Pontificatus, *&c.* ſuſcipere meruit. [5] *Guillelmus Bibliothecarius :* ſedit annos quinque, *quia* quintum *fere complevit: revera ſedit ab anno* 867, *Decembris* 14, *feria* 1. *ad* 872, *Novembris* 1; annos 4, menſes decem, dies 18. *itaque Manuſcripti Regii conſarcinator vel ipſius Guillelmi judicio longius quam decuit Hadriani Pontificatum protraxit.*

Hæc ad ſpecimen; nè quis ſive per ſe, ſive per alios in Manuſcriptum Regium deinceps incidens, vel ſincerum & incorruptum Anaſtaſium ſe nactum putet, vel ejus, qui centones ex Anaſtaſio, aliiſque nonnunquam compugnantibus, farcire aggreſſus eſt, fidam ubique diligentiam putet. cum enim id ſæpè nullo judicio dicat, *quod ipſe non ſani eſſe hominis non ſanus juret Oreſtes*, quodque in hoſpite ſuo Æſopi Satyrus deteſtatus eſt, ex eodem ore frigidum & calidum efflet, nunquam ſine prævio examine à quoquam audiendus veniet; ſed pro cujuſque quem expilavit merito, vel laudem merebitur, vel nauſeam movebit. Ignotis Anaſtaſio Martini aliorumque conſimilium commentis nemo ad fabulas facilis ſe circumduci patietur, quid quæque ætas ferre poſſit ſine præjudicio expendet, nec numerum, ſed pondus teſtimoniorum exiget. Quia verò nonnullos uſque adeò moroſos experiri ſolemus, ut quæcunque diſplicent, etſi probabilitate non careant, præfracte negare, quam nullo ſuo damno ferre, malint; Athenaſque, quarum in hanc uſque diem rudera ſuperſunt, ne Ioannam unquam hoſpitali ſinu foviſſe fateri cogantur, ſæculo nono nullas fuiſſe cum Hardingo præfracte contendant; ne cui deinceps imponant, in

Me-

Metropoleων Constantinopolitanæ Sedi subjectarum Notitia, Athenas 28 locum occupare; Ioannem Athenarum Archiepiscopum Concilio universali 6 in Trullo Constantinopolitano A. D. 681, congregato subscripsisse, Nicetam eodem Præsulatu perfunctum A. D. 869 & 70, adeoque post elatum Papissæ (si fuit unquam) funus, Concilio Constantinopoli adversus Photium contracto interfuisse; Michaëlem Nicetæ Choniatæ Germanum A. D. 1204, quo à Francis & Venetis Constantinopolis capta est, aliosque deinceps Athenis sedisse moneo. Subactâ verò Bonifacii Montisferati Marchionis armis Macedoniâ, Thessaliâ, Atticâ, Peloponneso, &c. ad Acciaiolum Florentinum Gaufridum de Villa Harduini Campaniæ Tricassinæ Marescallum & posteros Athenarum Ducatum devenisse; hoc ordine:

Nicetas in Balduino.

Franzes lib. 1. c. 37.

- Gaufridus de Villa Harduini, Companiæ Marescallus, Athenarum Dux.
  - Guillelmus Athenarum Dux & Peloponnesi Princeps, Agnetis, Petro de Curtiniaco Imperatore, & Yolende Flandrica natæ, maritus.
    - Agnes Athenarum Dux, Hugonis Brennæ Comitis, quo tempore Martinus Polonus scripsit, uxor.
      - Gualtherus 5 Brennæ Comes, & Athenarum Dux, Ioannæ, Gualthero de Castellione Porcensi Comite & Isabella Drocensi natæ, maritus, circa A. D. 1308 in Sicilia denatus.
        - Gualtherus 6 Francici stabuli Comes, A. D. 1356 in Pictavensi prælio cæsus.
        - Isabella Gualtheri 3. Enghiani uxor, fratris ex asse hæres.
    - Isabella Peloponnesi Princeps, Florentii de Avennis, ac exinde Philippi de Sabaudia uxor.
      - *1 Nupt.* Matthildis Ludovici Roberto Burgundiæ Duce & Agnete Francica nati, uxor.
      - *2 Nupt.* Iacobus Pedemontii & Peloponnesi Princeps, Sibyllæ Bauciæ maritus.
        - Philippus Mariæ, Amedeo Genevensi Comite natæ, maritus.

Post

Poſt exactos A. D. 1261, Indict.4, Iulii 25, feria 2. Francos, & recuperatam à Michaële Palæologo Conſtantinopolim, Latinorum in Attica & Peloponneſo vires paulatim emarcuerunt, rediitque ſenſim ad Græcos Imperium. hinc Georgius Franzes, A. D. 1434 à Ioanne Imperatore ad Antonium Commenum Athenarum Principem Legatum fuiſſe notat: hic vero vel poſtremus vel penultimus Athenarum princeps fuiſſe videtur; quandoquidem everſo A. D. 1453, Maji 29, feria 3. Conſtantinopolitano Imperio, continuo poſt Græcia univerſa ſub Mahometis 2, Turcarum Sultani jugum miſſa eſt, quo uſque nunc à Mahumetis poſteris premitur. *Lib.2.c.10.*

Penes Cl. virum Gabriëlem Naudeum, Anaſtaſii Manuſcriptum Codicem, in quo Papiſſæ elogium reperiatur, eſſe audio; nec quid in eo improbandum ſit, & cenſura notandum facile nunc dixerim, cum ejus hactenus mihi copia nulla facta ſit: crediderim tamen ejuſdem cum præcedente commatis eſſe. ſi eadem habeat, jam confecta res eſt; ſi diverſa, novum mihi argumentum ſuppeditat, quo infartum in Manuſcriptis Anaſtaſianis, quicquid de Ioanna prædicant Mariani Scoti ſectatores invicte demonſtretur; quandoquidem

fieri nullo modo poteſt ut Anaſtaſius, (niſi forte plane delirus & Chorœbo inſanior factus ſit) pugnantia ſecum, totiuſque hiſtoriæ Pontificiæ à ſe coætaneiſque aut ætate proximis univerſis in Sergio II, Leone IV, Benedicto III, Nicolao primo, Hadriano ſecundo, &c. ſcriptæ, calculos evertentia imaginatus chartis illuſerit. Si quando Naudeanum exemplar oculis luſtrare detur, pluribus audaculi, qui fœdo impuræ manus contactu illud contaminavit, inſcitiam revincere conabor.

VII. *Variæ à Variis recenſitæ erroris occaſiones.*

VNdè verò (inquies) comminiſcendi monſtri ſive arrepta, ſive oblata occaſio? Hiſtoriæ Erphesfordienſis in A. D. 1253 deſinentis ſcriptor Anonymus, Hadriani II ſucceſſorem Ioannem VIII, qui ſedem ab anni 872, Decemb. 14. feria 1. ad A. D. 882, Decemb. 14 tenuit, rectâ petit. *Sub eodem rege Carolo* (inquit [1] de Craſſo loquens) *Papa Ioannes celebrans Synodum in Herfordia; tunc Hildeberto* [2] *exiſtente Archiepiſcopo Moguntino, A. D.* 880. *Nota: iſte Papa fuit mulier, & eſſet octavus ſi computaretur inter alios.* Quod Baronii Cardinalis conjecturæ viam munire videtur,

[1] *Cap. 7.*

[2] *Luitbertum dicere voluit, qui A.D. 866. Concilio Sueſſionenſi ſubſcripſit: deceſſit autem A. D. 889. Lamberto, Hermanno, Mariano teſtib.*

tur, hæc ad A. D. 879. §. 5. ſcribentis: *Quod Ioannes Papa loco ſupplicii perſolverit præmia ſceleſtiſſimo viro Photio, magnam exiſtimationi ſuæ & Cathedræ pontificiæ notam inuſſit. Hinc puto factum (ſi quæ tamen veritatis, vel ſaltem ſpecies, mendacii apertiſſimi eſſe potuit) quod ob nimiam Ioannis animi facilitatem & mollitudinem, abjectâ penitus omni virilitate, fractus animo, ſacerdotalis conſtantiæ expers, atque robore enervatus, non Papa, (ut Nicolaus & Hadrianus) ſed Papiſſa fuerit contumeliæ loco dictus; utpotè quod qui nec reſiſtere ſciret Eunucho, quique vinceretur à ſemiviro, non vir, ſed eſſet fœmina potius nuncupandus; & ſic nomen contumeliæ tranſierit (poſteris rerum inſciis) in veritatis opinionem; atque id à pluribus decantatum fuerit Ioannem VIII fuiſſe fœminam, ſicque jactata vulgo invenerit eo modo locum fabula. Ejuſmodi planè ſcommatibus proſcindi ſæpè ſolere levioribus de cauſis Romanos pontifices à maledicis & otioſis, quis Romæ verſatus ignorat? Certè quidem non maledicos tantum, ſed & ſapientes atque prudentes provocaſſe adverſum ſe Ioannem pontificem, quæ dicentur inferius demonſtrabunt.* Hæc Annalium parens: nec improbabiliter, ſi inter Romanos præcipuè malè audiſſet Ioannes; ſed eo fortè nomine Germanis (apud quos audita primum Ioannæ mentio) inviſus fuit; quod

calcatâ

calcatâ scripti à Ludovico II Imp. in gratiam Ludovici patrui consobrinorumque Germaniæ regum testamenti religione, Caroli Calvi temerè partes secutus, legitimos hæredes Ludovicum, filiosque, Carolomannum, Ludovicum, & Carlitum (qui postea *Crassus* dictus est) Italiâ exclusit, Vide Annal. Fuld. Continuatorem Eutropii, &c.

Aventinus Annal. Bojor. lib. 4. aliam Ioannæ pandit originem. *Albertus*(inquit) *locupletissimus Etruriæ princeps, Ravennam, Bononiam, Romam in potestate habuit; ejus socrus Theodora scortum nobile atque imperiosum Romæ dominabatur, Ioannemque* [1] *nonum amatorem suum Bononiensibus primo, deinde Ravennatibus, postremo Romanis primariumque sacerdotem creavit; undè fabellam ortam crediderim, quæ temere vulgarit, hisce temporibus fuisse sacerdotem maximam, fœminam, quæ appellata sit Ioannes.* Atqui à Theodora Adelberti, non Tuscorum, sed Campanorum Marchionis, non socru, sed scorti parente, Ioannem X (quem malè *nonum* vocat Aventinus) Romanis ejusdem seculi scriptor præfectum refert Luitprandus; qui [2] Marosiam Theodoræ primo genitam, Alberici ex Adelberto, Ioannis undecimi ex Sergio tertio stupratore matrem, Widoni Adelberti Tuscorum Marchionis & Ber-

[1] *Inter A. D.* 912, *Ianu.* 24. & *April.* 7, 929.

[2] *Lib.* 2. *c.* 13. *lib.* 3. *c.* 12.

& Bertæ filio primis, Hugoni Bertâ eadem & Theobaldo nato, Widonis verò uterino fratri secundis nuptiis sociatam disertè scribit. Cur vero probrosum Theodoræ dominatum opportuniorem ociosis cudendæ fabellæ occasionem subministrasse demus, quàm Marosiæ, quæ postquam maternas delicias Ioannem decimum A. D. 929, è medio sustulit, proprium dedecus, Ioannem scil. alium spurium Sergio Papa prognatum, Romanis per summum nefas obtrusit? Demus tamen: quî factum ut *fœmina pontifex*, quæ de Theodoræ nomine *Theodorus Papa* dici debuit, à Ioanne amasio denominationem sortita, *Ioannes* non *decimus*, sed *octavus* dicta sit?

Onuphrius Panuinius [1] hinc ortam fabulam putat, quod *Ioannes XII per vim, patris Alberici Rom. principis potentia, adhuc penè adolescens Papa factus, aliquot concubinas, (ut Luitprandus Ticinensis illorum temporum scriptor*, lib. 6, c. 6 & 7, *tradit) habuit. in his præcipuæ erant* [Ioanna] *Raineria, & Stephania. Ex Ioanne igitur Papa, & ejus item scorto Ioanna, ad cujus forte arbitrium tanquam Papæ omnia Romæ pendebant, Ioannis fœminæ Papæ fabula manavit, quæ processu temporis aucta, in historiæ auctoritatem imperiti alicujus scriptoris opera paulatim irrepsit.*

[1] *Addit. ad Platinam, in Ioanne* 8. *inter annum* 955. *Ianu.* 9. *&* 964. *Maii* 14.

Sed

Sed ejus quem teſtem laudat Platinæ cenſor, ipſum (velit, nolit) deſtituit auctoritas. nulla enim in Luitprandi ſcriptis *Ioannæ* [1]; expreſſa, ſed pudenda Raineræ, Stephanæ, Annæ viduæ, neptiſque memoria eſt.

[1] *Lib.* 6. *c.* 6, 7.

Bellarminus Card. [2] ad Leonis IX tempora transfugio facto nos ducit; *fortaſſe* (inquit) *hinc nata eſt hæc fabula de Ioanne fœmina. Cum enim rumor eſſet quandam fœminam fuiſſe pontificem Conſtantinopolitanum; & deinde paulatim omiſſo nomine Conſtantinopolitano remanſiſſet fama & opinio de fœmina pontifice, & pontifice univerſali, cœperunt aliqui in odium Romanæ Eccleſiæ dicere, fœminam illam Romanum pontificem fuiſſe. Et veriſimile eſt, circa tempora ipſius Martini hanc famam exortam. Certè Martinus Polonus, qui primus hoc ſcripſit, nullum auctorem refert, ſed tantum dixit*, fertur. *itaque ſolum ex incerto rumore hoc habuit.* Itane verò ludicram divinatoriam exercere juvat; ut quicquid in buccam venit pro libidine efflare audeamus? *Abſit* (inquiebat [3] Leo) *ut velimus credere quod publica fama non dubitat aſſerere Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ contigiſſe, ut Eunuchos contra primum S*[ti] *Niceni Concilii capitulũ paſſim promovendo, fœminam in ſede pontificum ſuorum ſublimaſſe aliquando*, &c. *fieri potuiſſe penſamus.* Unus tamen ad

[2] *Lib.* 3. *de Rom. pont. c.* 24. *inter A. D.* 1049, *Feb.* 12. *&* 1054, *April.* 16.

[3] *A. D.* 1052. *epiſt.* 1. *c.* 23.

ad hanc uſque diem publicæ illius famæ teſtis Leo, quam vel uſu detritam, vel eundo viribus auctam, præter Bellarminum aſſeveravit nemo, nec *Martinus primus*, nec *ex incerto rumore*, ſed ex antiquorum Mariani, Rudolphi, Ottonis, Galfridi, Godefridi, &c. teſtificatione Papiſſæ aſſertor fuit. Digna itaque quæ in ſpongiam incumbat levior, cætera gravis purpuraque inſignis auctoris conjectura.

Qui divinatoriâ abjectâ certiora ſponderet, Allatius [1] nuper apparuit. *Moguntiaci in Germania* (inquit ille) *mulier Thiota nomine (ut tradunt Francorum annales & Sigebertus in Chronico) res Eccleſiaſticas perturbabat. Etenim novam ſe Prophetiſſam vocabat, uſurpabatque publicè docendi munus & concionandi. Hinc multi ſacrâ doctrinâ poſtpoſitâ, eam quaſi magiſtram cœlitus deſtinatam ſecuti ſunt: re poſtea detectâ, Synodali judicio dannata eſt. Habe lector, quod mihi in animo eſt certum, nec ambiguum. Poſterioris ſeculi homines nonnulli, rudes illi quidem & ſimplices, dum audiunt inter Leonem & Benedictum, vel ſaltem illo tempore, fœminam quandam Moguntiacam non tantum prophetaſſe, ſed prædicaſſe, obiiſſeque alia munia quibus ſummi pontifices decorantur, animum à femella, quam nec cogitaſſe tantum ſcelus credunt, advertentes ad principem, omnium Magiſtram,* *Petri*

[1] *Comment. de Ioanna.*

Petri Cathedram ſcil. cujus id munus eſſe optimè norunt ; & à Germania in Italiam, à Moguntiaco Romam tranſierunt. Alii ſceleſti illi quidem malitioſe totum hoc in innocentiſſimum Petri thronum traducunt , & Germanicam infamiam honoratiſſimæ Romanæ Eccleſiæ applicant. Vt facilius fallere poſſint , Ioannam iſtam Anglicam Moguntiacam eſſe volunt ; & lepidi fabulatores perbellis (etſi fictitiis) narrationibus veſtiunt , & incomptè ornatam exponunt. Nec aliundè mihi videtur veriſimilius , quàm à Moguntiaca iſta Ioannem Moguntiacum originem , (cum tempora reſpondeant) habuiſſe. Atqui *Moguntiacam* fuiſſe, nemo veterum dixit [a], ſed *de Alemanniæ partibus Moguntiacum veniſſe, poſtquam Salomonis Epiſcopi Conſtantienſis parochiam ſuis vaticiniis non minimè turbaverat ;* nec *inter Leonem & Benedictum* prodiiſſe ; ſed eo ipſo, quo ad pontificatum pervenit Leo, anno 847, vel ſaltem (ſi Sigebertum audiamus) 848. Quare quod Allatio *in animo certum eſt, nec ambiguum* , in *ambiguo* hæreat neceſſe eſt.

[a] *Annal. Fuld. Herman.*

De eorum , quos vel inconſulta temeritas , vel moroſa ſuſpicio tranſverſos abripuit , conſiliis , pronuntiare noſtrum non non eſt ; ut quicquid ſcripturientibus , (quos ab olim inſanabile fingendi cacoëthes tenuit tenetque) ſomniare collubitum

tum eſt, ne ſine ratione inſaniiſſe videantur, præſtare cogamur. Unde enim emerſit primùm de collapſo Romæ in ipſo Domini natali pacis templo, quod à Veſpaſiano poſt annum Chriſti 72 fundari cœpit, delirium? Unde Cyriacus poſt Pontianum urbici Papatûs hæres, ac demum undecies mille virginum ductor? Unde de ſeptem dormientium ſomno, à Græcis Latiniſque diverſimodè prædicatum ſomnium? Unde Iudas Dominicæ Crucis à Gregorii Turonenſis temporibus creditus inventor? Unde Conſtantini per collatum à Silveſtro Papa baptiſma, purgata lepra? Unde Leo poſt Liberium, ob Arianiſmum Hilariique noſtri perſecutionem famoſus? Unde Valentiniani ſenioris polygamia? Unde immane de Trajani per Gregorii magni preces impetratâ ſalute commentum? Unde Lutetiana ſub Ludovico Pio obſidio per Iſaurum gigantem, cujus uſque hodie ſepulchrum (ſi Deo placet) ad Stum Germanum oſtentant Pariſini? Unde Heriberti II Veromanduorum Comitis à Ludovico ultramarino imperatum ſuſpendium, cujus in monte Heriberti ab antiquiore Pipini Regis ſocero, Lauduni Comite dicto, locum Laudunenſes etiam nunc deſignant? Unde Conſtantiæ Frederici ſecundi parentis Monacha-

tus ac ſenile puerperium? Unde Agapetus & Baſilius Papæ, ad A. D. 891, Mariano & Sigeberto memorati? Unde inter Benedictum III & Nicolaum I, medius Godefrido, Gregorio Hieroſolymitano, & Compilationi Chronologicæ decantatus Paulus? Unde Fabianus, quem Vigilio antè Pelagium I ſucceſſiſſe eadem fabulatur farrago; quam pro Conone *Gedeonem*, pro Siſinnio, *Iſiemum* neſcio quem obtrudere non pudet? Quàm multi de poſteritatis judicio ſecuri, inſuper habitâ famæ curâ, id unum anhelare videntur, *bullatis ut ſibi nugis Fabula turgeſcat dare pondus idonea fumo?*

Quocunque primùm fine ſubornata Ioanna fuerit, cum publico undequaque plauſu è veſtigio excepta, famam fidemque ad ætatem uſque noſtram tenuerit; id certo certius eſt, nihil adeo novum inſolenſque de Romano clero dici potuiſſe, ut patribus noſtris fidem excedere videretur, qui per annos plus minùs centum ab anno 896 [1], *omni penè remigio deſtitutam Romanæ Eccleſiæ navim* [2]; *impudentiſſimos & procaciſſimos procos; nefarios, pontificatûs avidiſſimos & audaciſſimos competitores, à ſcortis intruſos, ſine lege pontifices,* imò [3] *monſtra, quorum ſicut ingreſſus in Cathedram infamiſſimus, ita exitus nefandiſſimus* fuiſſet, perpeſſam meminiſ-

[1] Baron. A. D. 900. §. 2.
[2] Ibid. §. 4.
[3] A. D. 912. §. 8.

miniſſent. Hinc factum ut Ioannæ, & peregrinationis, & virilitatis affectatæ, & Papatûs, & partûs, & poſitæ in memoriam ſtatuæ, & ſecutæ pudendorum attrectationis, ubique fautores nacta fama in dies invaleſceret; nec deſinerent vel ſomnoſiores, vel ingenioſiores in alieno, novis quotidiè pigmentis deformem per ſe molem incruſtare. Non enim probabilitate carere putanda ſunt, quæcunque de Ioanna fingendi libido vulgavit. verbi gratiâ, nihil abſurdi commenti ſunt, 1. Qui læve Ioannæ mentum diu Romanos fallere potuiſſe crediderunt: quandoquidem totis nono, decimo, &c. ſeculis raſos maxima ex parte Italos fuiſſe teſtantur Icones; utque viri paſſim propemodum imberbes, nonnullæ econtra mulieres piloſæ quotidiè occurrunt. Si tantâ curâ ſexum diſſimulavit Eugenia, ut oblati Melanthiæ ſtupri culpam ſuſtinere cogeretur: Si Marina vitiatæ in pandocheo virginis, à Pandocho rea peracta, *in pœnitentia* ad mortem uſque, *jacuit*: Si Euphroſynes Pelagiæque muliebritas oculorum omnium, etiam paternorum, aciem, vix in morte agnita, effugit: Si Theodora [1] adulterini puſionis pater credita, alieno crimini ſuccumbere maluit quàm ſecretum prodere: Quidni Moguntina mulier, Germanis ſuis, imò

[1] *Niceph. lib.* 17. c. 5.

Romanis habitu mutato imponere potuerit? 2. Qui aſſumpta virili veſte longinquas peregrinationes ſuſcepiſſe finxere; cùm [1] Iconio Antiochiam uſque Paulum comitari, eundem Antiochia, Myram uſque aſſectari πρὸς τὸ ἀνδρικώτερον μεταμπισχομένη Thecla (ſic enim Legendariis viſum eſt) cum laude potuerit, & [2] Melania παιδαρίου καρακάλλιον λαμβάνουσα Confeſſoribus Ægyptiis, quos ceſtigiis in Palæſtinam uſque ſecuta fuerat, neceſſaria ſubminiſtraverit. Quod enim in priſcis Chriſtianis mirabunda Roma celebravit, cur ſeculi IX hominibus vitio verteret? 3. Qui tanto felicis ingenii acumine ſtudiorumque gloriâ inclaruiſſe voluerunt, ut publice Grammaticam, Rhetoricam, Logicam doceret, dignaque conſentiente urbici cleri plebiſque ſuffragio cenſeretur, quæ poſt Leonis exceſſum pontificale ſolium conſcenderet: Cùm Eugeniam *Philoſophorum ſyllogiſmos vano labore conſtructos, ſtudio ſcrupuloſiſſimo transegiſſe*, Æcaterinam *in omni Rhetoricæ, Philoſophiæ, Geometriæ & aliarum ſcientiarum diſciplina adeo exercitatam, ut quinquaginta delectis oratoribus* os obſtrueret; Marcellam [3] *quicquid in* Hieronymo, *longo fuerat ſtudio congregatum & meditatione diuturna, quaſi in naturam verſum libaviſſe, didiciſſe atque poſſediſſe, ita ut poſt* pii Docto-

[1] *Vide Baſil. Seleuc. de vita Theclæ.*

[2] *Hiſt. Lauſ. c.* 117.

[3] *Hieron. epiſt.* 16.

Doctoris *profectionem, si in aliquo testimonio Scripturarum*, Romæ *esset oborta contentio, ad illam judicem pergeretur*; [eandemque] *postquam sensit fidem Apostolico ore laudatam in plerisque violari, ita ut sacerdotes quoque & nonnullos monachorum, maximeque seculi homines in assensum sui traheret, ac simplicitati illuderet Episcopi, publicè restitisse* legamus. Si enim sexum infirmitatemque professas tanto cultu prosecuta est Roma, ut supremos (ita dicere liceat) in sacris judices agnosceret; quid mulieri quam virorum doctissimum credidisse volunt, reverentiæ dignationisque denegare potuisset? 4. Qui Athenas studiorum causâ profectam fuisse scripserunt; fac enim literarium splendorem tunc temporis totâ Græciâ deliquium passum, quid Latinum hominem addiscendæ saltem linguæ spe in Orientem proficisci vetuisset? Quis vel Græcè locutos Athenienses, vel Græci sermonis studio Occidentales aliquot teneri olim potuisse negaverit prudens? 5. Qui [1] *ex Vaticano ad Lateranensem Basilicam ad Litanias profectam* dixerunt: ut enim statum Paparum domicilium Lateranense Patriarchium fuisse demus; post munitum à Leone IV Vaticanum potuere nonnulli ibidem aliquamdiu hærere; imò facilè potuisset è Laterano progressa

[1] Bergom.

 mulier

mulier in reditu parturitionis torminibus intercipi. 6. Qui in media platea puerperii doloribus oppreſſam vulgarunt: Quis enim momentum quo partum fuſura mulier vel prænoſcat, vel certo ſtatuat? Quam multas quotidiè imparatas, aliò intentas, uteri propemodum oblitas occupat partitudo? 7. Qui poſitam [1] *ſtatuam, quæ figurativè factum monſtraret*, ſenſerunt. Quod enim Senis antè annos fere ducentos in ſeculi felicioris majore luce factum fatentur omnes; Romæ incumbente ſequiorum temporum caligine fieri potuiſſe jure nemo negaverit: ut ut quod cogente publicæ indignationis impetu ſub omnium oculis ad famam erectum primum putabatur, nonnulli poſtea ſempiterna oblivione delendum cenſuerint; ſi Nemauſus triforme Gerionis ſimulachrum uſque nunc oſtentare non dedignatur; Si poſt everſum A.D. 389 Serapeum, comminutaque ac fuſa Alexandrinorum idololatrarum ſimulachra, ne quis eorum procedente tempore ſe *Simiam Deum* adoraſſe negare auderet [2], jure meritoque Theophilus ἓν ἄγαλμα τοῦ ἢ τοῦ θεοῦ ἀχώνευτον τηρεῖσθαι κελεύσας δημοσίᾳ προέστησεν; quanto juſtius acri recentis injuriæ ſenſu lancinata Romana Eccleſia, infulatæ illius ſcrofæ, quæ Cleri populiq; cultu per biennium & quod excurrit,

[1] *Theodoric.*

[2] *Socr. lib. 5. c. 16.*

rit, conſervata dicitur, publicè poſitâ ſtatuâ deteſtandam memoriam proteſtari, altâque mente repoſtam ob nuper admiſſum nefas δυσμθύειαν in perpetuum profiteri decreviſſet? 8. Qui [1], *loco deteſtabili poſtergato ad diverticula declinare* deinceps ſolitos pontifices aſſeverarunt. Si enim ob calcatum à Tulliâ paternum cadaver, *ſceleratum* dici *vicum* Romæ veteris exegit dolor, cui mirum videatur, ſi ob violatum per inauditum antea ſcelus ab impuriſſimo proſtibulo pontificium, tantâ Clerus urbanus indignatione exarſiſſe dicatur, ut execrandum poſteris, imò ne viſu dignum, incredibilis ſeculis prioribus piaculi locum duceret? 9. Qui denique [2], *ne quis in B. Petri collocaretur ſede, priuſquam per perforatam ſedem genitalia ejus attrectarentur, ſtatutum fuiſſe* retulerunt, craſſo (fateor) putidoque præcavendi erroris commento, ſed quod ſolers, minime ſuſpicaci majorum noſtrorum ingenio viſum eſt: cui enim Romanorum, quos nunc avitæ ſupinitatis pudet, patrum memoriâ perſuaſum non eſt perforatas in Laterano ſedes probando Paparum ſexui deſtinatas fuiſſe? *In Capellâ Servatoris* (inquit [3] qui ante annos 160 vivebat Guill. Brewinus) *ſunt duæ vel plures cathedræ de lapide marmoreo & cupro, cum foraminibus in iis ſculptis,*

[1] *Bergom. ex Martino.*

[2] *Idem.*

[3] *De 7 Eccleſ. princip. Romæ.*

ptis, super quas cathedras, (ut audivi ibidem) est probatio Papæ. Nec aliter è media Græcia Chalcocondylas, qui id ipsum quod Romæ à Romanis Brewinus didicerat, aliundè hauserat.

Quocirca cùm singulæ fabulæ ϖθανοῖς verisimilibus insistant; nec facilè vel ex ratione, vel ex historia petitis argumentis convelli queant; parum feliciter ingenium exercuisse videntur, quotquot (neglecto rei totius cardine) iis quæ sublato fundamento sponte concidissent, oppugnandis frustraneam quodammodò operam insumpserunt. Sed hoc contendentium penè omnium fatum est, ut dum amicorum pessima [1] *usque ad ultimum jota tenere*, æmulorum optima quasi insaniæ proxima aversari, genio indulgere, otio suo, patientiâ omnium abuti amant, in aliis contradicendi libidinem acuant, litemque ex lite serere cogantur. Nescio autem an non quod proximè elapso seculo profundæ prudentiæ vir, si Pasquini statua in Tiberim abjiceretur futurum conjectabat, ut nimirum mersus profundo, ranarum more fieret vocalior; post deturbatas, confractasque sive Pii quinti [2], sive Sixti quinti, sive [3] Clementis octavi jussu, Romæ Senisque, quæ Ioannam repræsentare videbantur, statuas evenerit: Stabat Romana sub

[1] *Gloss. dist. 9. c. 3. Noli meis.*

[2] *Elias Hasenmuller hist. Iesuit. ord.*

[3] *Remund. c. 22, 23.*

ſub dio, ſcabris jamdudum *vitiatâ dentibus ævi, lentâ paulatim* (ut cætera omnia ejus generis) *morte conſumenda*, ac ſimul ex animis hominum emovenda. At nunc ſtat, ſtabitque (ni fallor) in concertantium monumentis perennitati quodammodò conſecrata; nec video quo ingenio viri docti dilemma eludere liceat [1]. *In ſtatua illa, vel ea fuit fœminæ puerperæ ſimilitudo, ut hiſtoriæ fidem aſſereret, vel alia fuit, ut fabulam eſſe convinceret: Si hoc, cur verum mendacii argumentum è loco publico ſublatum eſſe voluiſtis? Si illud, cur antiquæ repugnatis veritati? Aut igitur imprudens admodum ſtatuæ ablatio fuit, aut impudens formæ negatio.* Idem de via à Sixto quinto everſa dici poteſt; ſiquidem vix fidem inveniet, qui (poſt mutatum locorum ſitum) ob anguſtias anfractuſque incommodam viam fuiſſe contendet.

[1] *Morton. apol. cathol. c.* 19.

VIII. *Craſſiorum Ræmundianæ tractationis * nævorum ſyllabus.*

* *Edit Lugdun. anni* 1595. *apud Benedictum Rigaldum in* 8.

1 N*Ulla fabulæ niſi poſt* 300 *aut* 400 *ab eventu annos mentio.* cap. 1. §. 5. cap. 4. §. 32.

℞. Leo IV anno 855, Iulii 17, ſupremum diem obiit: Marianus 1028 natus,

1086 denatus, 174 & 230, à Leonis IV dormitione annis. itaque falſa negatio eſt.

2 *Nemo mirabitur Schedelium, Norimbergâ, Huſſitarum hæreſi jam tum infectâ, oriundum, Ioannæ memoriam propagaſſe.* cap. 4. §. 34.

℞. At nec Norimberga Huſſitica fuit, nec Norimbergæ, ſed Patavii in Venetis pedem fixit Schedelius circa A. D. 1490, nec Huſſiticum quid, Huſſitis ubique infenſiſſimus, uſpiam ſpirat.

3 *Annalium Francicorum ſcriptor Cardinalem, dum Dominam ludibrio haberet, memoriæ gratiâ incomptum hoc carmen ſcripſiſſe refert: Papa pater patrum Papiſſa peperit partum.* cap. 4. §. 35.

℞. Verbis immutatis verſum evertere facillimum fuit: alii Ioannam energumenum ſanaturam hoc a Dæmone reſponſum tuliſſe ferunt: *Papa pater patrum Papiſſæ pandito partum: Et tibi tunc edam de corpore quando recedam.* Martini minoritæ Chron. Compil. Chron.

4 *Corruptum à Conrado Clauſero in agro Tigurino Miniſtro Chalcocondylæ textum, Franciscus Varro, Blaſius Vigenerius ex Domini Santandreani MS. reſtituit.* cap. 6. §. 2.

℞. Imò corrupit; ſiquidem ſciens prudens quæ in Græco exemplari diſplicebant

bant vertendo resecuit. Sic enim Laonicus lib. 6. §. 200. ἐπειδὰν δὲ τὰς ψήφους ἐπιλέγονται καὶ ἀποδειχθῇ ἀρχιερέα, ἀναγορεύουσί τε αὐτὸν, οἴκῃ κατέχοντες, ἐς ὃ ἂν καὶ τοῖς λοιποῖς συνδόξῃ ἡ αἵρεσις. καθίζουσι δὲ ἐπὶ σκίμποδος ὀπὴν ἔχοντος, ὥστε καὶ τῶν ὄρχεων αὐτοῦ ἐπικρεμαμένων ἅπτεσθαί τινα τῶν προσαχθέντων, ὥστε καταφανῆ εἶναι ἄνδρα εἶναι τοῦτον. δοκοῦσι γὰρ τὸ πάλαιον γυναῖκα ἐπὶ τὴν Ῥώμης ἀρχιερατείαν ἀφικέσθαι. οὐ γὰρ ἐπίδηλος ἦν, ὅτι καὶ οἱ ἄρρενες σχεδόν τοι τῆς Ἰταλίας καὶ ξυμπάσης τῆς πρὸς ἑσπέραν χώρας ἐπιεικῶς ξυρῶνται τὸ γένειον. ἔγκυον δὲ γενομένην ὡς εἰς τὴν θυσίαν ἀφίκετο γεννῆσαι τε τὸ παιδίον κατὰ τὴν θυσίαν καὶ ὀφθῆναι ὑπὸ τοῦ λαοῦ. δι' ἃ δὴ ὥστε ἐπιγνῶναι καὶ μὴ πάνυ τοι ἐνδοιάζειν ἅπτονται, καὶ ἀψάμενος ἐπιφωνεῖ Ἄρρην ἡμῖν ἐστιν ὁ δεσπότης, &c.

5 *Ioanna pontifex Hermaphroditus*. cap. 8. §. 2.

℞. Quasi verò in quo uterque sexus non fuit, *Hermaphroditus* dici mereatur.

6 *Musæus Sibyllina carmina de Athenarum excidio retulit*. cap. 9. §. 2.

℞. Musæos quatuor memorat Suidas, quorum monumentum nullum superest præter amatorium carmen, cujus titulus τὰ καθ' Ἡρὼ καὶ Λέανδρον. fac tamen superesse omnia, quis credat antiquissimis Græcorum

corum ſcriptoribus notam fuiſſe farraginem, quam poſt Hadriani obitum [1] Sibyllis ſuppoſuit imperitus conjector, qui Romam 948 à conditu anno ruituram [2] falſò divinavit? Meminerit autem lector à Ræmundo laudatos verſus à Solone ſcriptos, hos nimirum:

[1] *Lib.* 5. & 8.

[2] *Lib.* 8.

Αὐτοὶ δὲ φθείρειν μεγάλην πόλιν ἀφραδίῃσιν
Ἀστοὶ βούλονται χρήμασι πειθόμενοι.
Δήμου δ᾽ ἡγεμόνων ἄδικος νόος οἷσιν ἑτοῖμον
Ὕβριος ἐκ μεγάλης ἄλγεα πολλὰ παθεῖν.

nec Ræmundo viſam Solonis Elegiam, nec ab eo (ſi laciniam vidit) expreſſum ſenſum: ſiquidem initio carminis Athenis ſuis æternitatem ſpondet Solon his verbis, *ἡμετέρα δὲ πόλις κατὰ μὲν Διὸς οὔποτ᾽ ὀλεῖται*, &c.

7 *Claudium & Ioannem Rabanam Bedæ, diſcipulos Angliâ Carolus accivit*, cap. 9. §. 5.

℞. De Claudio Clemente, qui poſtea ad Taurinenſis Eccleſiæ regimen evectus à Iona Aurelianenſi oppugnatus eſt, ut & de Ioanne Mailroſio cognomento *Scoto*, à Carolo ex Hibernia accitos aſſentior; neutrum verò Bedę, qui ſeptennio ante Caroli Martelli mortem & Magni natalem, anno 735 nocte quæ inter 6 & 7 Kal. Iunias interceſſit, Aſcenſionemque Dominicam ſecuta eſt, vivendi finem fecit, diſcipulum fuiſſe clarum eſt: niſi quis eos (ad inſtar Ioannis

nis de temporibus) longè plusquam centenarios obiisse velit. observabit etiam lector Ioannem ullum , qui *Rabana* dictus sit , nuspiam memorari : sed forsan Erigenam in animo habuit Ræmundus , quem Hiberniâ seu vetere Scotia in Gallias migrasse constat.

8 *Constantinus Magnus , Anglus fuit.* cap. 9. §. 6.

℞. Id & falsò & imperitè asseri hinc patet : Anglo-Saxones anno demum 450, à Constantini dormitione 114 , in Britanniam irruperunt. Constantinum verò Naissi secundæ Mœsiæ natum Iulius Firmicus, Anonymus apud Cuspinianum , Stephani Epitomator , Constantinus Porphyrogenitus, Anonymus cujus fragmenta ad Ammiani Marcellini calcem nuper edita sunt, Cedrenus, &c. docent.

9 *Nulla Ioannæ in Rabani Mauri Fuldensis Cænobiarchæ , Strabi Fuldensis , Haimonis scriptis mentio.* cap. 10. §. 1.

℞. Cùm Haimonis Halberstadiensis antistitis obitus in anni 853, Mart. 28 inciderit, eoque Leonis IV supremam diem ex Mariani sententia præcesserit; Rabanus Maurus ex Abbate Fuldensi anno 847 Moguntinorum Archiepiscopus factus anni 856, Febr. 4 (quem Marianus Ioannæ catastrophen proxime secutum vult) decesserit;

ſerit; Strabi vitam ultra Ludovici Pii anno 840, Iun. 20, defuncti dormitionem Sixtus Senenſis, Bellarminus Card. Poſſevinus, &c. nequaquam protendant: videatur autem Strabus idem cum Walafrido Strabone anno 849 denato fuiſſe; inter teſtes qui de Ioannæ ſive hiſtoria, ſive fabula loqui potuerunt, tres à Ræmundo laudatos Præſules citare perabſurdum eſt. Vide Annal. Fuld. Herman. Marian. &c.

10 *Teophanus Freculphus nullam Ioannæ memoriam refert.* Ibid.

℞. Malè qui Ræmundi nomine abuſus eſt *Teophanum*, pro Theophane ſcripſit: abſurdiùs Theophanem Siculum Tauromenitanorum Epiſcopum, cujus Chronicon in annum 813 deſinit, cùm Freculpho Franco Lexovienſis Eccleſiæ antiſtite confudit. Imperitiſſimè Freculphum, cujus & hiſtoriam ultra annum 603 non extendi, & locum antè annum 853, April. 26, priuſquam (ex Mariani mente) Leo IV deceſſiſſet, ab Heirardô ſucceſſore ex Concilii Sueſſionenſis ſubſcriptionibus occupatum conſtat, inter eos qui de Ioanna ſcribere potuerunt, commemoravit.

11 *Ioannes Diaconus nihil de Ioanna habet.* Ibid.

℞. Fateor. at cum unius Gregorii primi, quam Ioanni octavo dicavit, vitam conſcripſerit,

ſcripſerit, de reliquis omnibus ſiluerit, quiſquis ex eo Ioannam non fuiſſe colligit, quòd de ejus Papatu tacuerit Diaconus, eâdem operâ Leonem, Benedictumque, quos pari ſilentio involvit, inter *entia rationis* computet neceſſe eſt.

12 *Milo Monachus nihil de Ioanna ſcripſit.* Ibid.

℞. Quid tum? an ullius Papæ uſpiam mentionem habet? ad Carolum Calvum *de Sobrietate carmen* ſcripſit, & *Sancti Amandi vitam*, & *epiſtolas*; præterea nihil. annon quotquot ſeculo aliquo vixerunt ſcriptores, ad eventuum omnium qui ſuo tempore contigerunt adnotationem adigere velle, dementiæ proximum eſt?

13 *Paſſeratius Ratbertus anno* 881, *de Ioanna ſilet.* Ibid.

℞. *Paſchaſium* dicere voluit, cujus obitus in 26 Aprilis anni 851 incidit, Leonis IV Papæ, quintum ineuntem. Paſchaſii in Corbeïenſis monaſterii Præſulatu ſucceſſor Odo, Concilio Sueſſionenſi anno 853, quem Marianus Leonis quarti ſupremum credidit, interfuit. Quid autem Paſchaſius hiſtoricum præter Adelardi Abbatis vitam ſcripſerit, dicat qui poteſt.

14 *Almanus anno* 890, *æquè de Ioanna ſilet.* Ibid.

℞. Nec

℞. Nec mirum ; nihil enim præter *threnos* edidit *ob Altuillarensis monasterii Franciæque per Nortmannos vastationem, vitasque Vinardi Episcopi, S^ti Sindulphi, S^tæ Helenæ Augustæ, & de ejusd. translatione* libellum. Quid hæc ad urbicos pontifices?

15 *Regino anno* 910 *de Ioanna nihil habet*. Ibid.

℞. Ut de pontificibus omnibus qui post Leonem III sederunt ab anno 812 ad 864, Nicolai primi septimum ; cui in mentem veniat toto 52 annorum decursu, (quia Regino tacuit) Romæ neminem sedisse? Sed nec ad annum 910 pervenit, (cujus in annum 906, Chronicon desinit) Regino.

16 *Hermannus Contractus anno* 1094 *vivebat*. Ibid.

℞. Hermannum anno 1013, Iulii 18 natum, 1020 Septembris 15 literis traditum, 1054 denatum Berchtoldus continuator monet.

17 *Conradus Abbas, qui tam multa scripsit Coloniæ anno* 1100: *Otto Frisingensis anno* 1150, *& Abbas Vrspergensis optimus auctor de Ioanna altum silent*. Ibid.

℞. De Ottone falsum comperiet quisquis libri 7 c. 35 evolverit. Conradus autem Abbas ab Urspergensi alius non est, qui

qui Chronicon à Nino ad Frederici ſecundi annum nonum, ſive Chriſti 1229 vel inchoavit, vel ad umbilicum perduxit. non enim (opinor) Conradum Benedictinum Abbatem reſpexit Ræmundus: cùm pauca ex ejus opere circa A.D. 900 ſcripto fragmenta ſuperſint; nec quid ſcripſerit, aut non ſcripſerit conſtet. interim meminerit lector Ottonem anno 1158, Septemb. 22, denatum: priorem Chronici Urſpergenſis ſcriptorem Sept. 24, anni 1101, Ioppen appuliſſe, April. 3. fer. 5. in Cœnâ Domini Romæ ſententiam in Henricum III à Paſchale II latam audiviſſe; poſteriorem anno 1202 Presbyterum factum, anno 1207 Monachatum profeſſum, anno denique 1215 Abbatem Urſpergenſem ordinis Præmonſtratenſis creatum.

18 *Gildus quartus circa annum 860 vixit, nihil de Ioannâ habet.* Ibid.

℞. *Gildum* nullum, quæ tres *Gildas* tulit, novit Britannia: nec ſi ſuum Ioannæ inter pontifices locum ſervandum putet, Gildas ſuos vel hiſtoriæ teſtes, vel fabulæ confutatores citabit. Non primum; nam Gildas Albanius, qui *de Evangeliorum concordia*, & *Aurelii Ambroſii victoriâ*; *Britannicorum regum hiſtorias*, *Germanique & Lupi acta* conſcripſit, anno 512, antè Leonis IV dormitionem 343, fato functus eſt.

F Non

Non ſecundum; nam Gildas Badonicus, cujus extant *de excidio Britanniæ*, *Clerique objurgatione*, editi anno 564 libelli, anno Domini 520 natus, 570, antè Leonis IV promotionem 277, quinquagenarius deceſſit. Non tertium; nam Gildæ monachi Benedictini congregationis Banchorenſis, qui *Breviarium hiſtoriarum* ſcripſit; annoque 860 claruiſſe dicitur, libri non extant, ut ex eorum lectione pateat quem in annum deſinant. Hunc Cambricum poëtam fuiſſe refert Simlerus, qui *Annales gentis ſuæ*; *hiſtoriam* * *Arviragi contra Inne*, *Cambreidos libros aliquot*; *Epithalamium Geniſſæ*: *epigrammatum libros ſex*, *diverſi generis poëmata ſcripſit*; *Statuta Duvallonis & leges Molmicinas Martianas & in linguam Latinam vertit.*

* *Arviragus ille Philippo Apoſtolo, Ioſephoque Arimathæenſi Glaſtoniam inſulam dediſſe dicitur.*

19 *Burgardus Dorceſtrius anno 870, nihil de Ioanna habet.* Ibid.

℞. Burchardus monachus & Eremita congregationis Giribennæ (Poſſevino teſte) ſcripſit *Fremundi occidentalium Anglorum reguli & martyris vitam*, & *alia multa*, *quæ tamen non extant hodie*. At neceſſe non eſt, ut qui ſemel calamum arripuit, quæcunque tempore ſuo eveniſſe dicuntur memoriæ mandaſſe, vel aliorum ſomnia refelliſſe dicatur.

20 *Nectus Adulphus anno 870, nihil de Ioanna habet.* Ibid.

℞. Sic

℞. Sic Neothi Edulphi Einesberiensis, qui circa A. D. 883, *ad Marinum II pontificem maximum pro Oxoniensi studio, institutaque vivendi ad Alfredum* scripsisse dicitur, nomen efferre placuit. Quo autem jure ab eo exegerit Ræmundus, ut quæ anno 855, contigisse dicuntur stylo suo excoleret?

21 *Ioannes Erigena, qui tam multa scripsit anno* 884, *nusquam Ioannæ meminit.* Ibid.

℞. Ut quæ *tam multa* dicuntur, *infinita* revera fuisse demus; cùm nec extent omnia, nec ad historiam pertineant, quam ab Erigena, vel in transcursu, attrectatam veterum nemo prodidit, frustrà Ioannem in testimonium advocari palam est.

22 *Asserinus Manebensis, qui anno* 890 *in vivis fuit, de Ioanna silet.* Ibid.

℞. Certè Asserius Menenensium Archiepiscopus, natione Britannus, anno 906 defunctus, *Historiam Britannicam*, & *de rebus gestis Ælfredi*, anno 893 scripsisse dicitur: an verò continuo ductu ad sua tempora scripserit, an ullius è Romanis pontificibus nomen expresserit, ne Ræmundus ipse divinaverit.

23 *Alphredus Magnus Rex Angliæ, qui multos eodem quo Ioanna fuisse fingitur tempore libros conscripsit, de eâ tamen silet.* Ibid.

℞. Quò plura scripsisse dicitur, nempe,

Leges West-Saxonum; Regum fortunas varias: Dicta sapientum; facetias & sales: Collectiones Chronicorum: Acta suorum Magistratuum; Meditationum manuale: Historiæ Orosii, Dialogorum Gregorii; legum Molmicinarum; librorum Bedæ de gestis Anglorum; Boëthii de Consolatione; Psalterii versiones, &c. eò impudentiùs Ioannæ patronis opponitur ejus auctoritas. cui enim ad manum sunt politissimi Regis anno 849 nati Chronica, ut ex iis (vel minimum quid) sive asserere sive refellere liceat?

24 *Theodorus Nicus Ottonis primi adversùs Papam partes secutus est, nec Ioannæ meminit,* &c. cap.10. §. 4.

℞. Theodoricum Metensem, Theodorumque Mindensem Ottonem I secutos constat; in quorum nuda nomina, (nam scripta non vidit) oscitabundus incidit Ræmundus. Sed non sequitur; *Papæ adversati sunt*: Ergo, *quicquid Romanæ sedi sive verè, sive falsò objici potuit, revera objecerunt.* Satis enim fuit Ottonis causam propugnare, & Ioannis XII præsidia evertere.

25 *Scripta quorundam Episcoporum legimus ab anno 860, adversùs Nicolaum, eodemque tempore Ioannis Ravennatis, Methodii Illyrici, quem Aventinus in Papas scripsisse refert; ut & fecit qui tunc imperavit Michaël Palæo-*

Palæologus; ibi tamen nulla Ioannæ mentio. Ib.

℞. Quid ad nos? an quisquis adversus Romanam sedem bellum suscipit, hoc ipso probra ejus omnia conquirere necesse habet; nec sibi satis cavere dicendus est, si propriam sine aliorum contumelia causam tueatur? 1. Teutgaudi Trevir. & Günthärii Colon. [1] qui anno 863 à Nicolao Papa depositi sunt, extat responsio. quâ se *sine Synodo, sine Canonico examine, nullo accusante, nullo testificante, nulla disputationis discretione dirimente, vel auctoritate ac probatione convincente, absque sui oris confessione, absentibus aliis Metropolitanis & Diocesaneis Coepiscopis, tyrannico furore*, in gratiam inimicorum *damnatos*, queruntur. cum autem Nicolaum unum stylo suo fodicare aggressi, nihil in Romanam sedem (cujus communione ab Hadriano II anno 867, Decemb. 14, fer. 1. restitutus [2] Teutgaudus gavisus est) moliti sint; quis prudens ab eis exigat, ut quicquid seu verè seu in speciem Romanorum famam dignitatemque pessundabat, in protestationis suæ breviculum conveherent? 2. Methodium *in Papas scripsisse* non refert Aventinus; sed [3] *persuasisse popularibus, ut explosâ linguâ Latinâ, exibilato ritu Romano, suum consecrarent eloquium: posthæc in regnum Boiariæ perrexisse*, à Richovalda, Adelvino & Juvanen-

[1] *Annal. Fuld.*

[2] *Vita Hadriani.*

[3] *Lib. 4.*

ſibus *pulſum in Moraviam aufugiſſe, ubi humatus eſt.* 3. Ioannis, Methodii, qui Ioannis VIII tempore vixit, & Michaëlis (Ræmundo ipſomet teſte) ſcripta omnia perierunt; ut fruſtra ſe torqueant qui de *non entibus* ſibi judicium ſumunt. 4. Michaël Nicolaï adverſarius, non *Palæologus*, ſed *Porphyrogenitus* nominis ſui 4 fuit: primus autem è Palæologorum gente anno 1262 Iulii 26, imperium invaſit Michaël VIII, qui Conſtantinopolim anno 1261, *Jul.* 25, *indict.* 4. Latinis eripuit, à Porphyrogeniti cæde 394.

26 *Vltramus Norimbergenſis Epiſcopus, Henrici IV partiarius, nihil de Ioanna habet.* Ibid. & cap. 16. §. 4.

℞. Nec *Norimberga* inter Epiſcopatus, nec inter Henrici fidos *Vltramus* ullus: ſed Walramus, Citzæ (undè poſtea Naumburgum ad Salam tranſlata eſt ſedes) ab anno 1089 ad 1100 Epiſcopatum adminiſtravit. aliud verò Walramo qui Apologeticum pro Henrico anno 1092, à Gregorii ſeptimi deceſſu octavo, edidit, propoſitum fuit, quàm ut Ioannæ (cujus ſeptennio antè cunas repererat Marianus) famam propagaret.

27 *Bennoni ſuppoſitum in ipſis Lutheraniſmi natalibus libellum, Antichriſti mei cap.* 17. *demonſtravi.* cap. 10. §. 4.

℞. Quic-

℞. Quicquid de Ræmundi, ſibimet plaudentis, demonſtrationibus ſtatuendum ſit; meminerit lector Bennonis Alexandri ſecundi primùm, Card. Presbyteri, deinde Romanæ Eccleſiæ Archipresbyteri libellum, Ræmundo naſutiores pontificiæ hiſtoriæ ſcriptores Onuphrium, Ciacconum, Victorellum legitimum agnoſcere; nec (ſi Ioannam Romæ revera ſediſſe demus) Bennoni, unius Gregorii ſeptimi vitam ſcripturo, memorandam fuiſſe.

28 *Alium nomine Conradum præeunte Aventino delibavi, qui, Gregorio ſeptimo iniquior, de Ioanna ſilet.* Ibid.

℞. Hinc patet fruſtrà Ræmundum πολυμάθειαν jactare. Conradus enim ille Gregorio iratior, alius ab eo non eſt quem § 2 laudavit, quemque poſtea ſæpius, ſed imperitè, Abbatem ab *Vſpourg* (Urſpergenſis nomine deformato) vocavit: ejus autem de Ioannâ ſilentium, quanti faciendum ſit ſupra docuimus.

29 *Nicolaus anno* 1050 *adverſus Leonem Papam ſcripſit, ut & Petrus Amiani, & Otto Conſtantienſis coætanei: nemo autem eorum Ioannæ meminit.* Ibid.

℞. Leonis IX Papæ adverſarius non *Nicolaus*, ſed *Nicetas Pectoratus* dictus eſt; nec Romanæ Eccleſiæ ſucceſſionem, ſed

fidem moresque inveteratos improbavit: nam doctrinam *de Spiritus sancti processione à patre & filio*; *Azymi usum*; *cœlibis vitæ à Clericis exactionem* palam damnavit. Petro Damiani filio, quem malè *Amianum* vocat Ræmundus, id unum in Leone displicuit, quod armorum usu non abstineret; nunquam verò ab eo colendo destitit. Otto Constantiensis Gregorii septimi, non Leonis IX, priusquam Episcopatum capesseret vita functi, decretis in conjugatos presbyteros conditis restitit; nec quid aliud Gregorio objecerit, sive ex Nauclero, sive ex aliis constat.

Epist. Petri ad Firmianum.

30 *Hincmarus, Rhemorum Archiepiscopus, pontifices etiam aggressus est.* Ibid.

℞. Famæ propriæ libertatisque Ecclesiasticæ vindex, Romanorum pontificum nominibus semper pepercit; nec unquam in nervum erupit contentio.

31 *Vincentius historialis Hidebergi cujusdam meminit, qui diffamatorios versus in sanctos patres scripsit anno* 1115. Ibid. §. 5.

℞. Hildebertum, Cenomanensis Ecclesiæ ab anno 1100 ad 1129, Turonensis ab anno 1129 ad 1136 Præsulem, maledico Ræmundi dente appetitum notabit Lector: quem cum *magnam Ecclesiæ columnam* Bernardus epist. 123, 124, *bonum pastorem*, Honorius epist. 66 agnoverint, furoris arguere,

guere, delirio laborantis eſſe quis negaverit? unicum autem nunc ſupereſt Hildeberti *de Miſſæ myſteriis* carmen; plurimæ etiam manent epiſtolæ, ex quibus ipſi benè cum Romanis pontificibus conveniſſe conſtare poſſit; ut fruſtrà ſint qui Romanis charum Præſulem, tanquam Romanorum contumelioſum derogatorem ſugillare audeant.

32 *Rupertus Anglus Epiſcopus à Papa excommunicatus, ut vindictæ indulgeret, aſperè in Papam ſcripſit, ut & Anglus alius nomine Matthæus Pariſienſis.* Ibid.

℞. Malè habitus Romæ ab Innocentio IV Robertus *Groſſe teſte*, Lincolnienſis Epiſcopus, non probra, non convitia, vindictæ avidus, per calumniam congeſſit, ſed ſcriptis editis de injuria queſtus eſt vivus: quam (ſi Anglorum monumentis ulla habeatur fides) ſeverè mortuus ultus eſt. Quiſquis autem Matthæi Paris Sti. Albani Monachi hiſtoriam, attento à capite ad calcem animo percurrerit, falſo furoris & calumniæ argui comperiet. purus enim ab affectibus ſcripſit, non ad invidiam, non ad vindictam, cujus cauſas nullas habebat. nec Ioannæ meminiſſe debuit, hiſtoriam ab A.D. 1067, Willelmi primi primo auſpicatus; quam ad annum 250 à Ioannæ, ſeu verius à Leonis IV interitu 395 pertexuit.

33 *Id ipsum anno millesimo præstitit Petrus Brusius.* Ibid.

℞. Non antè annum 1120 aut 1130 exortus est Petrus; nec Papæ bellum privatim læsus, sed fidei læsæ se vindicem causatus, indixit.

34 *Extat liber quem Ioannes Saboriensis fecit anno* 1150; *quemque*, Cleri objurgatorium *inscripsit : alius item quem Hunnonius Augustodiniensis anno* 1120 *edidit; alius denique Ioachimi Calabri anno* 1230 *conscriptus : quorum omnium auctores rabie odioque impulsi in Papas coætaneos mille injurias evomunt.* Ibid.

℞. Ioannem Sarisberiensem, qui ab anno 1177 ad 1181 Carnotenæ Ecclesiæ clavum tenuit, Baronius Card. non rabidum canem, sed *doctrinâ & probitate notissimum virum*, A. D. 1156, §. 12. *nobilem scriptorem, insignem, celebrem, gloriosa confessione decorum, doctrinâ præstantissimum*, A. D. 1167. §. 12. *Apostolicum, viribus Apostolicis decorum & illustrem virum*, A. D. 1172. §. 13. *clarum inter seculi celebriores*, A. D. 1181. §. 16, vocat; nec ob editũ *objurgatorium* infamem factum putat. Honorio Augustodunensis Ecclesiæ Presbytero & Scholastico ob scriptum, *de sacerdotibus offendiculum*, rabies objici non debuit. Nec Ioachimo, quem Honorius III *infamari* vetuit, quemque

que *prophetiæ dono afflatum paſſim percrebuiſſe* agnoſcit, qui in ejus commentariis *intelligentiæ donum olfecit* Poſſevinus, dicam ullam operum ejus imperitum ſcribere decuit. vixit is *ordinis Floris* in Sicilia Abbas, anno 1195, non 1230; deſierat enim in vivis eſſe anno 1215, quo Innocentius III libellum adverſus Petrum Lombardum ſcriptum improbavit: abſurdiſſimè verò ob editum *de* 15 *pontificibus futuris vaticinium*; vel præcedentium, vel omnium adverſarius fuiſſe colligitur.

35 *Dantes ſcripſit anno* 1250. Ibid.

℞. Imò nondum prodierat in hominum lucem: natus enim Florentiæ Tuſcorum anno 1260, Ravennæ anno 1332, menſe Iulio, ſeptuagenario major deceſſit.

36 Sereniſſimæ principis Ioannæ Labretanæ manibus inſultare aggreſſus, à Benearnenſibus ſubditis delatum ipſi pontificium ſummum fingit. c. 13. Quaſi verò ulli Proteſtantium in mentem venerit, ut *principes in Eccleſiaſticis omnipotentes* faceret: quod tamen omnibus imputat. cap. 19. §. 4. aut alio Benearnenſes Dominam ſuam honore colendam putaverint, quàm quo Davidem, Salomonem, &c. Nathan, Sadoc, totus Iſraël coluerunt.

37 *Anglia à Gregorio Papâ idololatriæ penitus ſubducta eſt; licèt regnante Lucio, Ieſu*

nomen

nomen in ea prædicatum fuiſſet. Sanctus hic pater merito magnus dictus, Auguſtinum & Melitum, doctos Sti Benedicti religioſos, miſit, qui evulſam diebus noſtris crucem plantaverunt. cap. 12. §.2.

℞. Licèt inſulæ pars Borealior, quæ nunc *Scotia* dicitur, à vera religione maxima ex parte abhorreret, ex quo Romani orbis principes Chriſti jugo colla ſubmiſerunt, nunquam à ſuſcepta ſemel fide Britones defecerunt; nec eorum, ſed Anglorum, qui Britanniâ ſubactâ, Chriſtiani populi reliquias in Cambriæ, Walliæque ſcopulos compulerant, per Auguſtinum Mellitumque, (quem malè *Melitum* Ræmundus vocat) converſioni operam impendit Gregorius Papa: nec jam quæ inter Anglos *plantata* per Euangelii prædicationem tunc *fuerat, evulſa crux eſt*; ſiquidem piorum omnium gloriatio communis eſt, *Gal.6.14. qui per Chriſti * *crucem mundo ſe crucifixos, mundum ſibi,* noverunt.

38 *Orbem in lachrymas fuſum ſcribit Hieronymus, cum ſe, quo tempore Arianiſmum propagavit Conſtantius, Arianum vidit; ſimul ac infelix Iulianus Chriſtianiſmum abjecit, idololatria in pretio eſſe cœpit, pedibus in apoſtatæ ſententiam diſcedentibus cunctis.* cap. 12. §. 4.

℞. Atqui non quo Arianiſmum Conſtantius

ſtantius complexus eſt tempore, *Arianum ſe* vidit & *ingemuit orbis*; ſed quo hæreticorum minis fraudibuſque fracti, anno Conſtantii 23, priſtinam conſtantiam Arimini deſeruerunt orthodoxi: Nec poſt deſertam à Iuliano pietatem promiſcua fuit Chriſtianiſmi profeſſorum Apoſtaſia, ut ut qui ſibi quàm Deo vivere malebant, bacchanti principi applaudere non vererentur.

39 *Prælati Anglici*, Epiſcopi Reginæ *dicti; quòd eos autoritate propriâ, inſuper habitâ* χειροθεσίᾳ, *inſtituat, loco moveat*, &c. *eadem ſæpè publicè imperato concionatoribus ſilentio conventus turbare viſa eſt: Imò Lutheri tempore tanta fuit mulierum quarundam temeritas, ut publicè diſputandas, præſidente Argulâ quadam, de religione theſes proponerent.* cap. 13. §. 3, 6.

℞. *Adeòne periſſe frontem de rebus*, ut in publica luce, protrita ejuſmodi deliramenta fidem invenerint? ſed ipſe qui dictavit furor, obtenebratis ex errore comminiſcentium mentibus, veniam, quam non meretur, impetrabit.

40 *Ambroſius Valentiniano Imp. Ariano reſpondit, Noli putare, (Imperator) auctoritatem poteſtatemque Imperialem tuam in divina extendi: tibi res regni non Eccleſiæ commiſſæ ſunt.* Ibid. c. 4.

℞. Alia

℞. Alia fuit pii Præsulis responsio, hæc nim. *Noli te gravare (Imperator) ut putes te in ea quæ divina sunt imperiale aliquod jus habere.* Item, *ad Imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem Ecclesiæ : publicorum tibi mœnium jus commissum est, non sacrorum.* epist. 33.

41 *Theodoretus narrat Presbyterum simplicem à Barte Valentis legato monitum, ut Imperatorem in causa fidei sequeretur.* Ibid.

℞. Ex imperitia omnia turbavit Ræmundus: Edessenæ enim Ecclesiæ Presbyter à Theodoreto laudatus Eulogius, Modesti præfecti prætorio orientis, qui Barsem Episcopum in exilium truserat, tentamenta omnia generosè repulit. lib. 4. c. 16.

42 *Arianos imitati hæretici, qui præcipuas sedes auctoritatemque in rebus Ecclesiasticis Imperatoribus suis dabant ; prout notat hist. Eccles. & Suidas de Leontio loquens, qui (quòd strenuè intercessisset) Ecclesiæ regula dictus est.* Ibid. §. 6.

℞. Ac Leontium illum qui Eusebiam aspernatus est, sive Tripolitanum Lydiæ cum * Suida velis, ex Anomœorum secta fuit, cujus ἐκθέσει cùm subscripsisset, Seleuciæ depositus est; Athanasio *de Synodis, Epiphanio hær.* 73, c. 26. *Socrate lib.* 2, *c.* 40. *Chron. Alexandrino ad Consulatum Constantii*

* *Voce* Λεόντιος.

ſtantii XII,teſtibus; ſive Antiochenum, ob famoſos Euſtolii proſtibuli amores, ſpontaneamque genitalium exſectionem execrandum, ab Euſtathio magno depoſitum, à Conſtantio deinceps vi in Antiochenam cathedram intruſum, Arianâ peſte corruptum; Aëtii hęreticorum impiiſſimi patronum fuiſſe, monet inſtar omnium teſtis Athanaſius, *apol. de fuga ſua* p. 559. *ad ſolitarios* p. 629, 640. *de Synodis* p. 703. ut pudendam incuriam prodant qui impurum Ariomanitam ceu *Eccleſiæ* (cui peſſimè incubuit) *regulam* colant; ex ejuſque intemperie, quicquid vel in principibus, vel in Proteſtantibus regiæ dignitatis aſſertoribus conſtantiſſimis diſplicet, animos ſumunt.

43 *Ariani majorum veſtigiis inſtiterunt, ut in Epiphanio videre eſt, de Marcione ſcribente, datam ab ipſo mulieribus baptizandi licentiam.* Ibid.

℞. Arianos (ut ut Anabaptiſmi reos) Marcionis inſaniam ſecutos non memini. vereor autem ne Proteſtantes hinc Eccleſiæ Romanæ invidiam faciant, quæ δίδωσι καὶ ἐπιτρόπῳ γυναιξὶ (obſtetricibus nim.) βάπτισμα διδόναι. Vide Epiph. hær. 42.

44 *Reformatis noſtris in Francia, ſatis eſt ſi mulieres cum populo promiſcuè canere ſinant;* quod

quod ab ipsa primitiva Ecclesia prohibitum est. Ibid.

℞. Ubinam gentium? Aliam certè ad annum 397 Ecclesiæ Italicæ praxim, quàm quæ hodiè *primitivæ* tribuitur, fuisse docet Ambrosius. *Mulieres* (inquit [1]) *Apostolus* in Ecclesia [2] *tacere jubet: Psalmum etiam benè clamant, hic omni dulcis ætati, hic utrique aptus est sexui; hunc senes rigore senectutis deposito canunt: hunc veterani tristes in cordis sui jucunditate respondent: hunc juvenes sine invidia cantant lasciviæ; hunc adolescentes sine lubricæ ætatis periculo & tentamento concinunt voluptatis: juvenculæ ipsæ sine dispendio matronalis psallunt pudoris; puellulæ sine prolapsione verecundiæ, cum sobrietate gravitatis, hymnum Deo inflexæ vocis suavitate modulantur: Hunc tenera gestit pueritia, hunc meditari gaudet infantia, quæ alia declinat ediscere. Ludus quidam est iste doctrinæ, majoris profectus, quàm cum seria traditur disciplina. Quantùm laboratur in Ecclesia ut fiat silentium? cùm lectiones leguntur, si unus loquatur, obstrepit universis; cùm Psalmus legitur, ipse sibi effector est silentii; omnes loquuntur & nullus obstrepit. Psalmum reges sine potestatis supercilio resultant; in hoc se ministerio David gaudebat videri; Psalmus cantatur ab Imperatoribus, jubilatur à populis, certant clamare singuli quod omnibus proficit,* &c.

[1] *Præf. in Psalmos.*
[2] 1 *Cor.* 14, 34.

45 *Ana-*

45 *Anaſtaſium Bibliothecarium damnaverat Leo quartus.* cap. 14. §. 1.

℞. Alium damnaverat à *Bibliothecario* Abbate, nimirum *Sancti Marcelli Presbyterum Cardinalem*; ut plenum ſtuporem καὶ ἀβελτηρίαν prodant, qui *ſecularis* à *regulari*, Presbyteri Cardinalis ab *Archimandrita* diſcrimen non capiunt.

46 *Zonaras, cujus hiſtoria ad annum* 1117 *pertingit*; *Nicetas, qui ad annum* 1220 *ſcripſit*: *Nicephorus Gregoras, qui ad* 1349 *hiſtoriam continuavit, nihil de Ioanna habent.* cap. 14. §. 5.

℞. Zonaram Ioannæ mentionem nullam habere mirum non eſt; ſiquidem pauciſſimorum pontificũ nomina breviſſimis ſuis Annalibus inſeruit. Nicetas hiſtoriam ab anno 1117, in quem Zonaras deſinit, auſpicatus, ad annum 1204 perducit, quo à Latinis Aprilis 15, feria 5, Conſtantinopolin captam Gaufridus de Harduini villa aſſerit. Gregoras ab anno 1204 ad 1354 continuat. quis ſanus ſperet ab iis qui decimi tertii & decimi quarti ſeculi hiſtorias ſcripſerunt, ut quæ *nono* contigiſſe dicuntur & ipſi credunt, alieno loco refricent?

47 *Amianus Marcellinus & Ruffinus in unica Eccleſia* 137 *corpora* (*quo tempore Damaſus electus eſt*) *enecta ſcribunt*, &c. cap. 15. §. 3.

℞. De cæſorum numero nihil Rufinus; is enim in genere refert *tantam ſeditionem, imò verò tanta bella coorta* fuiſſe, *alterutrum defendentibus populis, ut replerentur ſanguine orationum loca.* Vide lib. 2, c. 10. Accuratius rem deſcripſit Ammianus, à Ręmundo malè in *Amianum* transformatus.

48 *Idem parum abfuit quin accideret tempore creationis Canonis primi, & Sergii primi, annis* 686 *&* 87. Ibid.

℞. Abſonè à Ræmundo primus dicitur quem nullus ſecutus eſt, non *Canon*, ſed *Conon.*

49 *Miror Illyricum hanc inter laïcos eligendi pontificis poteſtatem ad annum* 1250, *ſine controverſia manſiſſe ſcribere auſum. Nam Alexander III à ſolis Cardinalibus electus, & Gregorius VII, prout ex electionis decreto videre eſt.* Ibid.

℞. Multò magis mirandũ adeò effrænem Ræmundi audaciam fuiſſe, ut citare non dubitaverit quæ ipſius cauſam jugularent, Illyricianam datâ operâ confirmarent. ſic enim habet electionis Gregorianæ decretum, A.D. 1073, §. 14. *Nos ſanctæ Romanæ Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ Cardinales, Clerici,* &c. *præſentibus venerabilibus Epiſcopis, & Abbatibus, Clericis & Monachis conſentientibus, plurimis turbis utriuſque ſexûs diverſique ordinis acclamantibus, elegimus nobis*

in

in pastorem, &c. eadem electorum Alexandri mens; *omnes* (inquiunt) *quotquot fuerunt auctore Domino unanimiter concordarunt, & invocatâ Spiritûs sancti gratiâ, in eum assentiente Clero & populo Romano, in Romanum pontificem Alexandrum Papam tertium nominarunt & elegerunt.* A. D. 1159, §. 29.

50 *Cardinalium ordo stabilitus Benedicto VIII anno* 1033, *& Innocentio IV anno* 1047 *sedentibus.* Ibid. §. 4.

℞. Atqui in locum Sergii IV, anno 1012, Maji 13 defuncti, suffectus Benedictus VIII, anno 1024, Feb. 28 decessit; Innocentius IV ab anno 1243, Iunii 24, ad 1254 Idûs Decembres sedem tenuit: ut fallentes Rœmundi calculos ipsa rei evidentia evertat.

51 *Cardinalium meminit Concilium Romanum sub Sylvestro primo.* Ibid.

℞. Erat igitur jam tunc *Cardinalium stabilitus ordo*, quem tamen totis 680 & quod excurrit annis sub Benedicto VIII, primùm natum sibimet contrarius Ræmundus somniavit. Sed ne ex pseudepigraphorum auctoritate pendere necesse sit, de vocis *Cardinalis* usu hæc Augustini verba notabit lector [1]: *inter nos & ipsos quodammodo Cardinales Donatistas, quorum Episcopus apud Carthaginem Primianus est, jam de hac re*

[1] De Bapt. lib. 1. c. 6.

(an ſcil. baptiſmus in ſchiſmate conferri poſſit) *nulla eſt controverſia.* Decennio circiter pòſt in celeberrima cum Catholicis collatione, Petilianus, Cirtenſium Donatiſtarum Epiſcopus ſuæ partis numerum [1] *Cardinalem atque authenticum*, id eſt fixum & inviolatum vocavit: Hinc deflexâ nonnihil ſignificatione ubique per Eccleſias circa annum 560 dicti *Cardinales*, Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, ſuis quodammodo parœciis, titulis, & Diaconiis affixi, atque *incardinati*; quo factum ut [2] *cardinare* Gregorio Magno, idem ſit ac *titulo ſuo affigere*, atque, ut ſic dicam, *inclavare*, eidemque ſynonyma videantur [3] *proprius ſacerdos*, & *Cardinalis ſacerdos*.

[1] *Collat.* 1. *cap.* 165.

[2] *Lib.* 2. *epiſt.* 25. *ind.* 10. 3. *epiſt.* 14.

[3] *Lib.* 2. *epiſt.* 24. *ind.* 11.

52 *Si Ioannæ cataſtrophen vidiſſent Romani, optatam ad manum ſubtrahendæ pontificibus obedientiæ, ſubeundique Imperatorum jugi occaſionem habuiſſent.* cap. 14. §. 6.

℞. Atqui quo tempore id factum credidit Marianus, imperii clavum ſumpſerat Ludovicus ſecundus, quo nemo majorem totâ Italiâ auctoritatem obtinuit, nemo regni jura ſeveriùs exegit; fruſtra itaque urbis (quæ ſub Francis erat, quorum primus Carolus Calvus ſupremam auctoritatem Majeſtatemque, *jura regni* Romanis *perdonatis infregiſſe fingitur*, dominium in pontificibus quæſivit Ræmundus. Vide Eutro-

Eutropium Longobardum, *Monarchiæ Romanæ Tomo* 1. p. 8, & ſequentibus. Carolus certè enim *Romanis* leges dediſſe legitur. *Volumus* (inquit) [1] *atque præcipimus, ut omnes ditioni noſtræ Deo auxiliante ſubjecti, tam Romani, quàm Franci, Alamanni Bajovarii*, &c. hinc inter metropoles Carolo ſubditas, *Romam* primam recenſuit Eginhardus. Hinc Epitaphium Lotharii à Rhabano ſcriptum, *Qui Francis, Italis, Romanis præfuit ipſis*: hinc aliud Ludovici filii, *Imperii nomen ſubdita Roma dedit*, &c. *Nunc obitum luges, infelix Roma, patroni, Omne ſimul Latium, Gallia tota dehinc*, &c. ut omni penitus rationis uſu excidiſſe videantur, qui veteribus noſtris Francis ſummum in urbe Imperium denegandum putant, ut in pontifices, à quibus Imperatores noſtrates [2] *more antiquorum principum adorabantur*, quo jure quave injuriâ transfundatur.

[1] *Capit. tit.* 3, *Concil. Gall. Tom.* 2, *p.* 232. Sigeb. *Lotharius omnia Italiæ regna tenuit, cum ipſa Româ.* ex Reginone.

[2] *Eginhart. Annal. ad A.D.* 801.

53 *Additamentum Pandulphi manuſcriptis à quodam ex ſchiſmaticorum hæreticorumve temporis illius numero inſertum veriſimile eſt, quales erant Claudius Thodinenſis, Godiſcalcus Gallus, Bertrandus, Fredebardus, Ioannes Scotus*, &c. cap. 15. §. 6.

℞. Cùm *Pandulphus Maſca Piſanus Presb. Card. ſanctorum* 12 *Apoſtolorum*, anno 1201 deceſſerit; & Claudius, Gotteſchal-

teſchalcus, cæterique à Ræmundo infamati, ante annum nongenteſimum vivere deſierint, ab eorum ullo interpolata Pandulphi exemplaria vel ſcribere, vel putare abſurdiſſimum eſt. meminerit etiam lector *Thodinenſem* pro Taurinenſi, *Godiſcalcum*, pro Gotteſchalco, *Bertraudum*, pro Bertramo ſeu veriùs Ratramno, *Fredebardum*, pro Fridegardo imperitè ſcriptum fuiſſe: nec niſi per injuriam ſummam clariſſimos ſuo tempore viros, qui nec Eccleſiam ſciderunt, nec pontifices vel oppugnarunt, vel adverſarios paſſi ſunt, ſchiſmaticis hæreticiſque accenſeri poſſe.

54 Gelaſii primi ad Anaſtaſium Dicorum Imperatorem, ab Hadriano primo pro 7 Synodo, Conciliis, Pariſienſi lib. 1, c. 3, & Aquisgranenſi ſub Gregorio IV, Gratianoque diſt. 95. c. 10. *Duo ſunt*, &c. deſcriptum locum, Innocentio primo [1], ſeptuaginta quatuor ante Anaſtaſii imperium annis vitâ functo, perperam tribuit Ræmundus. cap. 16. §. 5. dec.

[1] *Deceſſit Innocentius A. D.* 417, *Mart.* 12, *feria* 2. *Imperator ſalutatus Anaſtaſius A. D.* 491, *April.* 7, *majoris hebdomadis feria* 1.

55 Rurſus Innocentii tertii ad Balduinum Flandrum, Conſtantinopoli anno Domini 1204, Maji 17, feria 1; ab Anaſtaſii Dicori deceſſu 686, Imperatorem creatum, anno 1205, April. 14, fer. 5. à Bulgaris fuſum captumque, verba, quibus dignitatem ſuam Soli, regiam Lunæ

com-

comparavit Papa, Innocentio primo Anastasium Imperatorem [1] nondum natum compellanti affingit. Ibid. Vide Decretal. lib. 1, tit. 33, c. 7, *de Majorit. & obed.*

[1] *Anno* 427 *natus est, post Clementis dormitionem* 10.

56 *Ludovicus Imp. Ioannis vicesimi secundi Cadurco oriundi juratus hostis, procuratâ Nicolai VII electione, schisma in Ecclesiam introduxit.* Ibid. §. 6.

R. Petrus Reinalutii ordinis minorum Corbariensis, anno Domini 1328, Maji 22, feria 5, ipso Dominicæ Ascensionis die, Ioanni vicesimo secundo oppositus, Nicolaus *quintus*, non *septimus* (qui nunquam fuit) dictus est. Vide Ciaccon. scriptamque à Ioanne Georgio Herwartho *Ludovici IV defensionem.*

57 A. D. 325, *à Concilio primo Niceno approbatæ & confirmatæ sunt cœlibatûs leges.* cap. 17.

R. Scire (quo id auctore didicerit Ræmundus) velim: cum disertè Socrates lib. 1, c. 12, Sozom. lib. 1, c. 22, Gelas. Cyzic. lib. 2, c. 33, negent; veterum affirmet nemo.

58 *Germani libidinis, juratæ rationis hostis, mancipia, in mulierum amplexibus immodici, licèt sub climate frigido, ut Thraces, Samogitii, pars Moscoviæ degant.* Ibid.

R. Quicquid sit *de Germanorum moribus*, quorum antè 1500 annos, & Christianismum,

niſmum,qui meliora docuit,ſuſceptum cauſam peregit Ræmundo è diametro oppoſitus Tacitus. Samogitios ultra 60 latitudinis gradum, Moſcovitas inter 52 & 70 protenſos, *frigidi climatis* incolas fateor lubens: ſed quis ſanus, Thracum inter 40 & 47 gradum porrectam regionem, intemperatis connumeraverit? hinc quanta Ræmundi in Geographicis peritia fuerit patere poteſt.

59 *Græci inter Eccleſiaſticos matrimonia tolerant*. Ibid. §. 2.

℞. Non modò tolerant, ſed (quod nunquam probaverint Proteſtantes) exigunt; cùm neminem ad Presbyteratum non uxoratum aſſumant, eoſque (Photio apud Baronium A. D. 861. §. 64, teſte) *non ferant qui ſe ab uxoratis ſecernunt*.

60 *Debent Germani in memoriam revocare, quod à vetere Franco, Vincentio Lirinenſi ſcriptum eſt*. Ibid. §. 6.

℞. *Commonitorium* ſuum tertio à Concilio Epheſino primo anno, ſeu Domini 434, Lerone ſcripſit Vincentius; quo tempore cis Rhenum vix pedem fixerant Franci: quantùm aberat ut Narbonenſem Galliam, quam primus anno 536 Francis dedidit Witiges, occuparent? Vincentium certè celeberrimi Trecenſium Epiſcopi Lupi germanum, *ex Palatino Lirinenſem Mo-*

nachum

nachum factum, Gallum non Francum fuiſſe aſſeverat Pſeudo-Dexter in Chronico.

61 *Valdrici ſeu Hilderici ad Nicolaum Papam epiſtola ſuppoſititia eſt. deceſſit enim Nicolaus anno* 867 : *Hildericus* (*Hermanno teſte & Abbate ab Vſpourg*) *anno* 924. *Epiſcopatu functus eſt.* Ibid. §. 2.

℞. Udalricum illum, qui anno 924 ordinatus, 973, 4 Nonas Iulii feria 6 deceſſit, eodem quo Nicolaus Papa in vivis fuit tempore, nec vixiſſe, nec ſediſſe damus. Sed cùm is (*Compilatione Chronologicâ* referente) ejuſdem nominis *ſecundus* fuerit, non primus; quid Udalricum alium antiquiorem, Nicolai primi coætaneum fuiſſe vetat, cujus epiſtola anno 1079, à Gregorio VII damnata [1], à Pio ſecundo, libro *de moribus Germaniæ*, anno 1458, legitima agnita fuerit?

[1] *Berthold. Conſtant.*

62 *Soli Germani Ioannæ meminerunt, nulli Franci, Hiſpani, Angli, Itali, Græci, Iudæi in partes veniunt.* Ibid. §. 5.

℞. Contrarium nos ipſo Diatribes hujus initio prolixè demonſtraſſe meminerit lector.

63 *Liber, cujus titulus*, Ceremoniæ ſacræ, *Leoni decimo per M. Electum oblatus eſt.* cap. 18. §. 6.

℞. *M.* nomen, *Electum* cognomen il-

 lius

lius, qui *de Ceremoniis sacris* scripsit, viri credidit Ræmundus: utrumque tamen falsum; nam à *Christophoro Marcello* qui A.D. 1512, Decemb. 10, fer. 6, in Sess. 4 Concilii Lateranensis orationem habuit, ac postea Corcyrensium Archiepiscopus *electus* est, Leoni decimo opus illud consecratum constat.

64 *Cùm Sixtus quintus ad pontificatum vocatus est, quidam ex præcipuis Aquitaniæ reformatis, electum Papam supra altare ceu novum Deum levari, dehinc Cardinales omnes junctis manibus adoraturos procedere, pedesque osculari solitos referebat.* cap. 19. §.2.

℞. In margine *calumniam* notare non erubuit Ræmundus: sed quàm sincerè, sequentia *Sacrarum Ceremoniarum* libri verba indicant. * *Demum Domini Cardinales depositis croceis & parvis caputiis, cappas suas reassumunt, imponunt novo pontifici pluviale rubeum pretiosum, & mitram auro & gemmis ornatam, illúmque sedere faciunt super altare; cui Cardinales omnes reverentiam exhibent per órdinem, pedes, manus, & os deosculantes.* Ibid. *Pontifex novus præcedente cruce & Cardinalibus ad Ecclesiam S^ti^ Petri descendit, & prostratus antè altare sine mitra aliquamdiu orat, agitque gratias Deo & beatis Apostolis. Tum surgens, à Cardinalibus super altare ad sedendum constituitur cum mitra; & prior*

* *Parte* 1. *c.* 6. *sect.* 12. *a*

Episco-

Episcopus genuflexus incipit, Te Deum laudamus; *quem hymnum, cantores prosequuntur. Interim Cardinales pedes electi, manûs, & os deosculantur servato ordine. Quod & alii qui adsunt Prælati, & nobiles faciunt. Finito hymno, idem prior Episcoporum, stans à cornu sinistro altaris, ubi Epistola legitur, dicit super electum*, Pater noster, &c. *his servatis, descendit electus de altari, & versus ad populum solenniter benedicit dicens*, Sit nomen Domini benedictum.

65 *Mitra linguâ Persicâ Solem significat.* cap. 20. §. 1.

℞. Si scilicet (asperato stylo) pro *Mitra*, Mithram scribas: alioqui *Mithras* Persis vicinisque olim populis *Sol*: *Mitra*, tænia Mæonum Lydorumque ornamentum dicitur: hinc Æneid. 4. *Mæoniâ mentum mitrâ*, &c.

66 *Richarredus Hispaniæ Rex Christianus factus, sancto Felici pontificatum tunc tenenti coronam misit; quod anno salutis 600 factum est.* Ibid.

℞. *Recaredus*, in cujus malè nomine Ræmundus impingit, Leowigildo patri anno Domini 586, à Felicis quarti obitu [1] 56 successit, Arianismum regni mense 10 ejuravit; anno 589, Maji 8, ejuravere Gothi, eoque fine Concilium III Toletanum publicè cum eis ejuraturus sedente Pelagio II Papâ

[1] *decessit Felix 4. A.D. 530, Octob. 12.*

Papâ congregavit; anno 601 deceſſit: ut Ræmundum, cui Recaredum cum Felice infeliciter componere viſum eſt, vigilantem ſomniaſſe neceſſe ſit.

67 *Poſtquam Imperatores, reges, & principes Chriſti jugo ſubditi ſunt, matrem (ceu probi filii) Eccleſiam honorarunt, ejuſdem capiti, honoribus, dignitatibus, regiis inſignibus tributis, prout anno 289 Marcellini, anno 315 Silveſtri primi, anno 369 Damaſi, & 406 Innocentii primi tempore videre eſt.* Ibid.

℞. Hoc verò nihil aliud eſt quàm monſtra loqui. Marcellinus ab anno 296, Iulii 30, feriâ 1, ad 303, April. 26 ſedit; Silveſter primus ab anno 314, Ianuarii 31, feriâ 1, ad 335, Decemb. 31. Damaſus ab anno 367, Septembris 30, feriâ 1, ad 384, Decemb. 10. Innocentius primus ab anno 402, Maji 18, feriâ 1, ad 417, Mart. 12. dicant autem Ræmundi admiratores velim, 1. Quos, Marcellino ſedente, Reges maternis ulnis ſuis foverit Eccleſia? 2. Quid Diocletianus (ſub quo martyrium fecit Marcellinus) Eccleſiæ contulerit? 3. Quid, præ cæteris Eccleſiæ Romanæ Præſulibus, Silveſter, Damaſus, Innocentius à Chriſtianis principibus peculiare conſecuti ſint? 4. A quo veterum inſignia regia ipſis collata, aut urbicum Papam Eccleſiæ univerſæ, (cui *Chriſtum*

caput [1] datum monet Paulus) Sponſum caputque [2] *ſecluſo Chriſto* dici debere didicerint.

[1] *Epheſ.* 1. 22. *Coloſſ.* 1. 18.

[2] *Bellarm. de Rom. pont. lib.* 1. *c.* 9.

68 *Ridiculum illius delirium, qui hommagium recuſabat, quia coram Creatore ſolo genuflectere liceat, ſed Senatus conſulto ſtultus declaratus eſt.* cap.21. §. 2.

℞. Hæc in Proteſtantes imperitè cuſa faba eſt; ac ſi eorum ullus adeo ſtipes ſit, ut genuflexionem hominio imperatam, nihil penitus cum adoratione religiosâ commune habere non ſentiat.

69 *Magnum Æſculapii ſacerdotem durius (apprehenſâ mordicus manu) Chalcedone excepit Lucianus.* Ibid. §. 6.

℞. Ipſe id inter Paphlagonas loco qui tunc *Abonis murus* dicebatur, poſtea *Iunopolis* vocatus eſt, contigiſſe refert Lucianus. Vide ejuſdem *Pſeudomantin.*

70 Pomponium Lætum, cujus ad Marcum Antonium Coccium Sabellicum, Angelumque Politianum, Alexandri ſexti & Iulii ſecundi coætaneos familiares extant Epiſtolæ, antiquis Senecæ, Tacito, Suetonio, Spartiano, Lampridio, Eutropio, abſurdè tanquam ejuſdem ætatis ſcriptorem accenſet. Ibid.

71 *Iudæa matrona nomine Simonitis Eliſæi pedes amplexata eſt.* Ibid. §. 7.

℞. Nec *Iudæa* propriè, ſed Iſſachare

oriunda Iſraëlitis, nec *Simonitis nomine*, ſed *Sunamitis habitatione* dicta eſt mulier, Eliſæo prophetæ chara. Vide Ioſue 19. 18. & 2 Reg. 4. 8.

72 *Plebs Apoſtolis, Apoſtolorumque diſcipulis occurrens, eorum pedibus accidebat. Vide Acta Apoſtolorum, Nicephorum, Martialem; Polycarpum, cujus (auctore Euſebio) pedibus oſcula infigebantur.* Ibid. §. 9.

℞. Cum Actorum decimo improbatus à Petro ſemel, à ſanctis nuſquam ad piorum pedes procumbendi mos legatur probatus; non video quo judicio ex Actorum libro ſibi patrocinium quærat Ræmundus; ſcripſerint quicquid in calamum incidit Nicephorus & Pſeudo-Martialis, nuperi fabuloſique auctores; de Euſebio quod fingit falſum eſt.

73 *Id in ore habebat Conſtantinus, ſe Deum in Epiſcoporum perſona honorare. Euſeb. de vita Conſtantini lib.* 1, *c.* 35. Ibid.

℞. Quid in mente Conſtantinus habuerit ex Euſebio didicimus loco citato: ait enim de pio principe, ὅτι μὴ τὸν ὁρώμενον τοῖς πολλοῖς ἄνθρωπον, τὸν θεὸν δ᾽ ἐποπτεύειν ἐδόκει; quid præterea dixerit idem, non conſtat; finxit tamen ad lubitum Ræmundus.

74 *Iuſtinianus ſecundus Conſtantini, Pipinus Stephani, Carolus M. Hadriani, Luit-*

prandus

prandus Longobardorum Rex, Leonis; Ludovicus Lotharii filius Sergii Papæ pedibus oscula impresserunt. Ibid.

℞. Hæc de Pippino Anaſtaſius; *ad ferè trium millium ſpatium deſcendens de equo ſuo, cum magna humilitate terræ proſtratus, unà cum ſua conjuge, filiis & optimatibus eundem ſanctiſſimum Papam ſuſcepit;* ubi oſculi mentio nulla. quid de Carolo referat audiamus; *conjungente* (inquit) *eodem excellentiſſimo ac benigniſſimo Carolo rege, omnes gradus ſigillatim ejuſdem ſacratiſſimæ B. Petri Eccleſiæ deoſculatus eſt, & ita uſque ad prænominatum pervenit pontificem, ubi in atrio ſuper gradus juxta fores Eccleſiæ aſſiſtebat, eoque ſuſcepto ſe amplectentes, tenuit iſdem Chriſtianiſſimus Carolus Rex dextram manum antedicti pontificis.* Simulac itaque iteratis oſculis ſuam in Petrum reverentiam teſtatus eſt, honoratiorem (deferente pontifice) locum Carolus *tenuit.* Idem à Leone tertio [1] *ſumma cum humilitate, ſummoque honore ſuſceptus, more antiquorum principum adoratus eſt.* Sed forte alia Ludovici ratio, imò eadem; *Conjungente* (inquit Anaſtaſius) *eodem rege univerſoſque gradus ejuſdem ſacratiſſimæ B. Petri Eccleſiæ aſcendente ad prænominatum propinquavit pontificem, ubi in atrio ſuper gradus juxta fores Eccleſiæ cum univerſo Clero & populo Romano aſſiſtebat. Tunc mutuò*

[1] *Annal. Caroli M. ab Aſtronomo ſcripti. Vita Caroli. Eginhard. annal. Annal. Fuld. Regino, &c.*

mutuò ſe amplectentes , tenuit idem Hludovicus rex dextram antedicti pontificis, &c. Quis credat Carolum , Ludovicumque pronepotem , Hadriani & Sergii (quos ſibi cedere patiebantur) pedibus oſculum obtuliſſe ? Non tamen tunc temporis oſculatos quoſdam pontificis pedes negaverim: ſiquidem Siginulphum Beneventanorum principem *cùm ſuſcepiſſet* Sergius , *ſolo proſtratus pretioſos ipſius pedes humiliter oſculatus eſt.* Sed alia planè Italici reguli , alia principum noſtrorum fuit ratio. Flavium Luitprandum anno regni 32, cùm (Paulo Diacono referente) deceſſiſſe ; anno 743 ad finem ex Concilio Romæ anni ejuſdem Septembri 12, indictione ineunte congregato, annum *triceſimum ſecundum* attigiſſe, eoque naturæ antè Iunias anni 744 conceſſiſſe, Philippico, Artemio, Theodoſio, Leoni Iſaurico , Conſtantino Copronymo , & Artabasdo Impp. Conſtantino, Gregoriis ſecundo & tertio , Zachariæque pontificibus convixiſſe , undetrigeſimo poſt Leonis ſecundi dormitionem anno (qui Chriſti 712 fuit) regnum iniiſſe, quinquaginta duobus ante Leonis tertii exordia vivere deſiiſſe conſtet , falli qui Leonis ullius *pedibus advolutum* fingunt neceſſe eſt. Sed fortè quod Leoni non præſtitit , alteri exhibuerit Luitprandus ;

alia tamen Anastasii mens esse potest : *ad* Luitprandum (inquit) *egressus pontifex* Gregorius II, *eique præsentatus, studuit ut potuit regis animum commonitione piâ, ita ut se prosterneret ejus pedibus, & promitteret se nulli inferre læsionem.* quasi dicat, hinc Papam Langobardi *pedibus prostratum*, misericordiam ejus implorasse, indè Luitprandum fidem dedisse, nulli se deinceps Romanorum nociturum. Hinc patet unicum Ræmundo Iustiniani secundi exemplum restare, quo Papalium pedum per pœnitentes (qualis Iustinianus fuit) osculum probare possit. Sed aliam pœnitentium, qui *Dei caris* passim *adgeniculari* [1] solebant, aliam fidelium cæterorum rationem fuisse, nemo non videt.

[1] *Tertull. de pœnit. c.* 9.

75 Novi quid Ioannes Faber Franciæ Cancellarius suis in Iustinianum Commentariis scripserit. Ibid.

℟. Certius, Fabrum nullum Gallicani Cancellariatus munere functum, novimus.

76 Vide Valentinianum Imp. qui ad S^ti Martini pedes procidit, prout in Fortunato legitur. Ibid. §. 13.

℟. Video sanè Valentiani Martinum salutare dedignati solium occulto igne correptum, territum divinæ ultionis sensu principem [2], Martini *genua amplexum, pedibus volutatum exiliisse, sanctique imperiale*

[2] *De vita Martini lib.* 3.

 caput

caput ad vestigia subdidisse; sequentem laciniam, *sedentis in sede Episcopali quam soli Petri successores possident*, liberali Ræmundi manu Fortunati verbis assutam; Fortunatum denique omnia in majus auxisse; siquidem cæterorum omnium fons Severus, *solio superbum excussum, Martino invitum adsurrexisse, multumq; complexum*, referens, de casu ad pedes nihil habet; nec Paulinus qui de Valentiniano brevissimè scripsit, *extortum redhibere pio gratatur honorem.*

77 *Sulpitius noster Archiepiscopus Bituricensis Martini discipulus, Maximi Imperatoris uxorem satiari non potuisse, dum sancti Episcopi pedes oscularetur, amplecteretur, lavaret, crinibus tergeret.* Ibid.

[1] *De vita Martini lib.* 3.

℞. Testatur quidem [1] *diebus ac noctibus reginam de Martini ore pependisse, Euangelico illi non inferiorem exemplo, pedes sancti fletu rigasse, crine tersisse, divelli à Martini pedibus solo stratam non potuisse.* Sed nemo non videt figuratè locutum, nec singulos literarum apices ad bilances scrupulosius trutinandos esse, cum Paulini Fortunatique paraphrases nos à Ræmundi cogitationibus procul abducant.

Non (ait ille) *inferior tanto regina marito,*
Devota obsequiis vincebat sedula regem,
Pendens sanctifico semper narrantis ab ore,
Et largo propter spargens vestigia fletu,

Illius

Illius æquabat meritum, quæ crine beato
Lota prius lachrymis Domini vestigia tersit.

Brevius hæc:

Nec regina pedes cessat lachrymosa rigare,
Sternens membra solo, suspendens gaudia voto.

Hoc enim unum ex Severi verbis colligendum putavit, Maximi conjugem Martino concionante ad pedes ejus sedisse, ubertim flevisse, &c. Meminerit autem lector Severum Primuliacensem [1], Monachatum professum, Tolosæ [2], Elusæque [3] vitam maxima ex parte trivisse, Bituricensem Cathedram nunquam insedisse: Sulpitium priorem Bituricensem sesqui sæculo recentiorem anno 589, secundum anno 641 in Domino dormivisse.

[1] *Paulin. epist.* 11.
[2] *De vita Martini epist.* 1. *ad Bassulam.*
[3] *Paulin. epist.* 6.

78 *Bernardo priores Eusebius, Nicephorus, Sozomenus scripsere.* Ibid.

℞. Cum Bernardus anno 1153, Augusti 20, mortalitatem expleverit; Nicephorus Andronico seniori, qui ab anno 1283 ad 1325, regnum tenuit opus inscribat, Nicephorum 150 circiter post Bernardi dormitionem annis claruisse, non præcessisse, necesse est.

79 *Chrysostomus in hunc locum* Act. 10. 25, 26. *Petrum debitum sibi honorem recusasse asserit.* Ibid. §. 14.

℞. Ego verò, temere falsoque id Chry-

ſoſtomo affingi, lectorem pium moneo, ne Ræmundi aſſertionibus plus æquo fidat.

80 *Aurelianus in vita Martialis, id de Duce, vel Domino Lemovicum Stephano refert, quod nudipes, cilicio circumamictus, ad Apoſtolorum principis pedes cecidit.* Ibid.

℞. Cum ſcriptam ab Aureliano vitam non extare fateatur, ipſe ille qui Aureliani defloratam à ſe lucubrationem finxit, peſſimæ fidei, judicii nullius balatro; Burdigalenſibus Comites, Aquitanis Duces, imò Reges ſub Neronis imperio dare; Aquitanico ſolo Vaſcones Gotthoſque priſco illo ævo incolas aſſignare; Hildebertos, Arnulphos, Suſannas, Germanicæ, & Hebraïcæ originis nomina, vetuſtis noſtris Gallis imponere auſus: parum exiſtimationi ſuæ conſuluit, putidis ejuſmodi commentis ceu ſolido fulcro incumbens Ræmundus.

81 *Idem fecerunt qui Tripoli à maligno ſpiritu vexati ſunt.* Ibid.

℞. Quod energumenis Ræmundus, id propriè *fatigantibus Dæmonibus* imputat *Recognit. lib.* 4. Pſeudo-Clemens, qui *ſpiritus immundos, ut vel uno die eis in obſeſſis corporibus, permanere indulgeretur, obſecraviſſe* refert. nemo autem (opinor) ex Satanæ facto Chriſtiani officii regulam venabitur mentis compos.

82 *Id*

82 *Id ipsum insulæ Ancharedenæ mulieres præstiterunt.* Ibid.

℞. Ut absurdè, *Antaradum* Phœnicum urbem (quæ postea *Tortosa* dicta est) cum *Arado* insula stadiis sex ab Antarado dissita confundit Ræmundus ; sic imperite pro Antarado *Ancharedum* scribit , & falso mulieres sive Aradenas , sive Antaradenas coram Petro corruisse asseverat ; binas enim non plures id præstitisse refert, Pseudo-Clemens , Romanam alteram, nempe Mattidiam , Fausti , Faustiniani & Clementis matrem : Aradenam alteram, Mattidiæ hospitam paralysi à Petro liberatam. unica igitur Aradena mulier (si qua procubuit) procubuerit, non plures ; nec per Synodum Romæ sub Gelasio circa annum 494 congregatam , Ræmundo licuit *Recognitionum* patrocinio suo causam tueri ; siquidem de *Recognitionum libris decem*, quibus Clemens hypobolimæus Petrum Hierosolymis per Cæsaream, Doram, Ptolemaïda, Tyrum, Sidonem, Berytum, Tripolim, Orthosiada, Antaradum, Aradum, Laodiceam , Antiochiam usque perduxit, disertè pronuntiat Gelasius , *Itinerarium nomine Petri Apostoli, quod appellatur S*[ti] *Clementis* , *libri decem apocryphi.* Nemo etiam sanus Hieronymi monitum insuper habendum crediderit [1] : *Caveat omnia Apocry-*

[1] *Epist.* 7.

 pha,

pha, & si quando ea non ad dogmatum veritatem, sed ad signorum memoriam legere voluerit, sciat non esse eorum quorum titulis prænotantur, multaque his admixta vitiosa, & grandis esse prudentiæ aurum in luto quærere. Quod in Recognitionum libros verè quadrare comperiet quisquis libro 9 octuplicem è Bardisanis, qui 69 circiter post Clementis martyrium [1] annis claruit, ab Eusebio laudata de fato lucubratione, laciniam à Pseudo-Clemente intextam fuisse meminerit.

83 *Mille similia ad manum veniunt, verbi gratia, quando Demetrius Andreæ pedes osculatus est, Cratimus & Sostratus, Matthæi, Thomæ, & aliorum.* Ibid.

℞. Rursus ex impurissimi gurgitis cœnosis lacunis à Paulo IV jure meritoque damnatis [2], quæ Christiano lectori propinet, haurire non horret Ræmundus. hìc autem pios omnes monitos velim 1 malè *Cratimum* ab eo pro Cratino scriptum. 2 falsò, à Cratino & Sostrato, Matthæi Thomæque pedibus infixa fuisse oscula, fingi. 3 absurdè *Babylonis* (si Deo placet) *Episcopi Abdiæ, Hebraïcum,* sive Cratonem sive Eutropium (quem Latini sermonis Paganum omnes norunt) *scriptum* in Græcum sermonem vertisse: Africanum (quem ut Latinum Episcopatu functum temerè somniavit impostor, sic Græcè scripsisse quęcun-

[1] *Euseb. de præpar. lib. 6, & hist. lib. 4. c. 31. Hieron. Catal. Lib. pontif. in* Clemente.

[2] *Bellarm. de script. Eccl. Baron. A. D. 44. §. 44. & A. D. 51. §. 51. Espens. de contin. lib. 5, c. 6. & lib. 6. c. 2. Andrad. defens. fid. Trid. lib. 2. Molan. de imag. lib. 2, c. 36. lib. 3, c. 35. lib. 4, c. 20. Hessel. Censur. in Martyrol. Lorin. præf. in Acta. Salmeron in 2 Tim. 2. disp. 2. Sixt. Sen. Bibl. lib. 2. Possevin. Appar.*

quęcunque ſuperſunt fragmenta teſtantur) è Græco in Latinum refudiſſe aſſeri. 4 abſurdius Hieronymianam Bibliorum verſionem Africani longè antè Hieronymi natalem defuncti ſcriptis inſeri. 5 hinc maximè infruniti impudentiſque rhapſodi τόλμημα revinci; quod Pſeudo-Abdias Petri paſſionem Lino ſuppoſitam, Pſeudo-Clementis decretalem primam, Recognitionum libros 2, 3, 4, 7, 9. Rufino interprete Latine redditos, in Petri vita paſſim deflorat.

In Paulina, Miletum Ioniæ urbem, cum Melite inſula confundit, Linique nomine ſcriptam Pauli paſſionem imitatur.

In Andreæ vita, *Amaſeam* Helenoponti metropolim, *Sinopen* Mithridatis in eadem provincia patriam, *Myrmidonem* quæ nullibi unquam audita eſt urbem in Achaïa collocat, Alcmanas, Ephidamas, Liſbios, portentis ſimilia nomina pro libidine efformat.

In Ioannis vita, Clementis Alexandrini verba Euſebianæ hiſtoriæ, à Rufino Latinitate donatæ, inſerta verba mutuatur. vide Euſeb. lib. 2. c. 33.

In Iacobi Alphæi vita, ex Recognitionum libro primo laciniam, ex Euangelio ſecundum Hebræos ab Hieronymo in Catalogo deprromptum locum, aliumque Hegeſippi ab Euſebio lib. 2, c. 23. laudatum

 deſcri-

deſcribit, Zaroen & Arphaxat Magos, Warardach Ducem, Zebam advocatum, Suanir civitatem, Semnem Chriſtianum, Babyloniorum regem, veterum qui Perſicorum regum [1] ab Orode Craſſi debellatore, ad Oſroëm à Trajano debellatum, ſucceſſionem ſcriptis conſignarunt, nulli cognitum Xerxem comminiſcitur.

[1] *Cognita veteribus Regum Perſicorum ſeries: Orodes, Phraates, Artabanus, Bardanes, Gotarza, Vonones, Vologeſus, Oſroes.*

In Matthæi vita, civitatem Naddaver, Æglippum regem, Eupheniſſam reginam, Hyrtacum regem, Ephigeniam filiam, Beor Ephigeniæ fratrem, Zaroen & Arphaxat Magos, Euphranonem Candacem Eunuchum à Philippo Apoſtolo baptizatum, Philippum Apoſtolo-diaconum, *paradiſum montibus ſupereminentem, in quo nulli ſerpentes* vivant, fabulatur.

In Bartholomæi vita, Indiam *ad Medos, Æthiopiam, finemque* triplicem facit, *tenebrarum regionem gerentem*, Aſtaroth idoli cultricem, urbe Beireth, rege Polymio poſtmodum Epiſcopo claram, Aſtyagi Polymii fratri ſubditam, Waldath numini deditam, *miraculis in nomine Bartholomæi factis*, in fide confirmatam aſſeverat.

In Thomæ vita, Thaddæum è 70 diſcipulorum numero, Abban Indum, Gundaferum & Meſdeum, Treptiam Meſdei conjugem, Zuzanem filium cum Manazara uxore, Mygdoniam Chariſii neſcio

cujus

cujus à marito divertentem uxorem, Siphoratum militiæ principem, Siphoram uxorem, Saporem fidelem, Narchiam Mygdoniæ nutricem, Iovem, Iunonem, Neptunum, Plutonem, Phœbum, *Berecynthiam noctis illuminatricem*, Indorum numina fingit.

In Philippi vita, extinctam Hierapoli (quo Philippum Diaconum cum filiabus concessisse, ab Eusebio laudatus Polycrates Ephesius refert) Ebionitarum hæresim, ab Ebione post Apostolorum mortem exorto seminatam, Philippum non *quatuor* (prout de Euangelista Lucas Act. 21. 9. & Gaïus apud Eusebium lib. 3. cap. 31 narrant) sed duarum virginum prophetantium patrem fabulatur.

Nec tamen (ut ut ab audacissimis impostoribus edita primum, ac deinceps sub incudem revocata videantur) nuper è tenebrionum gurgustiis prodiisse dicenda sunt Pseudo-Abdiæ commenta; siquidem objectam ab Adimanto [1] Augustino fabulam vita Thomæ, nugasque pro veris historiis antè annos 822 [2], ab Aldelmo Occidentalium Saxonum Episcopo, & Walafrido Strabone anno 848 defuncto, Christianæ reipublicæ venditatas, Ioannis & Bartholomæi vitæ exhibent. At vix quisquam concipere possit, quî factum, ut

1 *August. advers. Adimant. c. 17.*

2 *Aldelm. de laude Virgin. c. 11. Walafrid. offic. c. 25.*

qui Recognitionum & Pseudo-Abdiæ quisquilias, à Romana sede doctisque omnibus justa censura notatas, in deliciis habet Ræmundus; Antoninum Florentinorum dum viveret Præsulem, à Romana Ecclesia anno 1523, Maji 31, ipso S^{tæ} Trinitatis die sanctorum albo inscriptum, aversetur, *à probatis auctoribus mille fabulas historiæ suæ inseruisse convictum; hujusmodi testis auctoritatem non tanti esse ut lectoribus frenum injiciat, modicæ (imò nullius) auctoritatis inter doctos esse, vulgi sermones recitare, non ad amussim veri exigere ejus partes fuisse, sæpe in falsis speculis veri imagines quæsivisse*, caussatus, ut ut enim Antonini elevanda sit auctoritas, nequaquam pluris suppositiorum Abdiæ, Clementis, Aureliani quos professus *popularis erroris* exagitator, exosculatur imprudens, facienda fides est.

84 *De salutationibus Romano pontifici debitis*, geniculatione nim. & pedum osculo, *testimonium Photius ferre coactus est, prout ex his quæ Nicolao Papæ scripsit, videre est.* Ibid. §. 12.

℞. Photii verba sunt [1], *quotidie ad vestram paternam sanctitatem eos qui velint adire, & pretiosis ejus frui vestigiis, hoc mihi valdè amabile est.* hinc autem non fit, ut Romano pontifici, vel soli, vel præ cæteris debita sit, aut exhibita à quoquam per *genuflexionem*

[1] *Baron. A. D.* 861. §. 54.

nem pedumque osculum ſalutatio ; cum paſ-
ſim ſimiles de Præſulibus aliis laïciſque
illuſtribus uſurpatas phraſes videamus.
Exempli gratia , Oneſiphorus Iconienſis
metropolita , dc Dioſcoro anno 451 ad
Chalcedonenſes patres verba faciens, hæc
habet: [1] κατέχον τὰ γόνατα αὐτοῦ λέγων , μὴ *[1] Chalced. act. 1.*
τῶν ποδῶν τῆς θεοσεβείας σου. Qua adjuran-
di forma uſi [2] Abramus Archimandrita *[2] Concil. Conſtant. A. D. 448. adverſ. Eutych. congreg. act. 4.*
Conſtantinopolitanus [3] , Andreas Diaco-
nus, Eleuſius Diaconus , Mamas Presby-
ter ; [4] Ægyptiacæ diœceſeos Epiſcopi [5],
Euſtathius Beryti Phœnicum metropoli- *[3] Concil. Conſtant. A. D. 449. April. 8.*
ta Chalcedone cauſam agens [6] , Marinia-
nus Synnædenſis Eccleſiæ metropolita de
Dioſcoro eodem, κατέχομεν αὐτοῦ τοὺς πό- *[4] Chalced. act. 4.*
δας. Item κρατοῦντες τὰ γόνατα αὐτοῦ. Pho- *[5] Ibid.* *[6] Chalced. act. 1.*
tius Tyri metropolita [7] libello ſupplice
ad Marcianum Aug. δέομαι οὖν προσκαλιν- *[7] Ibid. act. 4.*
δόμενος τῶν ὑμετέρων ἰχνέων. Archiman-
dritæ Orientis [8] libello ſupplice ad Iuſti- *[8] Conc. ſub Mena act. 5.*
nianum Imp. ἐδεήθημεν τῶν εὐσεβῶν ὑμῶν
ἰχνῶν. Paulus Apamenus totaque ſecundæ
Syriæ Synodus ad Iuſtinianum eundem [9], *[9] Ibid.*
de Agapeto Papa , ἀρχιεπισκόπῳ τῆς πρεσ-
βυτέρας Ῥώμης ἀξιωθέντι τῶν εὐσεβῶν ὑμῶν
ἰχνῶν. Archimandritæ rurſus libello Sy-
nodo Conſtantinopolitanæ [10] oblato , *[10] Ibid.*
εὐθύς τε ἅμα πᾶσιν ἡμῖν πρεσβυτέροις τὰ ἴχνη
τοῦ εὐσεβεστάτου καὶ θεοφυλάκτου ἡμῶν βασι-

λέως

λέως δραμεῖν. Sabas Mutulæ in Cappadocia Abbas [1], allocutione ad Imp. Anastasium directa, ἦλθον εἰς τὸ προσκυνῆσαι τὰ ἴχνη τῆς ὑμετέρας εὐσεβείας. Procopius historiæ ἀνεκδότου pag. 133. ὅσοι τὸ πατρικίων ἀξίωμα εἶχον ἔπιπτον μὲν εἰς τὸ ἔδαφος εὐθὺς ἐπὶ στόμα χειρῶν καὶ ποδῶν εἰς ἄγαν τεταννυσμένων τῷ χείλει ποδὸς ἑκατέρου ἁψάμενοι ἐξανίσταντο. Corippus lib. 1. *poplite flexo, plurima divinis supplex dabat oscula plantis.* Episcopi [2] Prætextatum Rotomagensem ad criminis confessionem impellentes, *prostrati omnes* (inquiunt) *coram pedibus ejus* [Chilperici] *dare tibi veniam impetramus.* Prætextatus ipse *prostratus solo ait peccavi*; Chilpericus vindictæ avidus, *prosternitur coram pedibus sacerdotum.* Nec Papas puduit cæteros imitari. Hormisda epist. 6, ad Anastasium Aug. *vestigiis vestris pro universali advolvor Ecclesia.* Idem epist. 12 ad Timotheum Constantinopolitanum: *adjacet tibi principalibus vestigiis supplicando dirigere quod devium est.* Gregorius M. lib. 2. epist. 65. *quid est meum retribuere, nisi vestigia eorum* Impp. *purè amare?* quomodo scil. legati Leonis ad Concilium Chalcedonense, *humilitatem suam* judicum *vestigia secutam, act.* 16, protestabantur. Agatho epist. ad Constantinum Pogonatum, *tanquam præsentialiter prostratus & vestris vestigiis provolutus*

[1] *Vita Saba.*

[2] *Greg. Turon. lib. 5. c. 19. Aimoin. lib. 3. c. 26.*

lutus quæſo. Stephanus 2 epiſt. 4, ad Pippinum, *provolutus terræ, & tuis veſtigiis me proſternens cum divinis myſteriis conjuro,* &c. *ut ſub nimia feſtinatione & maxima celeritate nobis ſubvenias.* Paulus 1 epiſt. 2, ad eundem Pippinum, *dum veſtris Deo amicabilibus veſtigiis fuerint una cum Rodberto fideliſſimo veſtro præſentati legati Rom. Eccleſiæ.* Hadrianus 1 epiſt. ad Conſtantinum & Irenen, *veſtris Deo protectis veſtigiis provolutus quæſo, & coram Deo depoſco.* Idem ad Carolum epiſt. 1, *reverſi ſunt miſſi ſpiritalis matris veſtræ ſanctæ Dei Eccleſiæ à veſtigio à Deo protecti regni veſtri.* & epiſt. 2, *magnoperè direximus ad veſtra regalia veſtigia præſentem Anaſtaſium,* &c. Quantis dignos ſibilis crediſſet Ræmundus, ſi qui ex ejuſmodi locutionibus, humanitatis ſpontaneæque obſervantiæ indicibus, à præſulibus quibuſcunque, imò à Romanis pontificibus, regibus, patriciis omnibus, debitam genuflexionem pedumque oſcula concluſiſſent, præſertim cum de Papa contrarium ſciſcat *Sacrarum ceremoniarum* liber? *Romanus* (inquit [1]) *pontifex nemini omnino mortalium reverentiam facit, aſſurgendo manifeſte, aut caput inclinando, ſeu detegendo. Romanum vero Imperatorem (poſtquam illum ſedens ad oſculum pedis & manus ſuſcepit) aliquantulum aſſurgit ad oris oſculum,*

[1] *Lib.* 3. *ſect.* 1. *c.* 2.

lum, mutuo charitatis amplexu illum benigne recipiens. Idem aliquando facit & magnis regibus. Cæteros omnes tam principes quam prælatos (cujuscunque dignitatis sint) cum ad oris osculum eos recipit, non assurgit, sed sedens recipit. Consueverunt tamen Pontifices, Cardinalibus & maximis Principibus privatim adventantibus, & reverentiam facientibus, cùm non sunt in pontificalibus, aliquantulum caput inclinare, tanquam reverentiam reddentes; & hoc non ex officio, sed ex laudabili humanitate.

85 *Nondum anni ducenti effluxere ex quo Senensis Trulli prima fundamenta jacta sunt: exinde Michaël Angelus qui pulcherrimis Italiæ ædibus aliquam excellentis penicilli, cælive notam, ac testificationem relinquere voluit, eum marmoreis Paparum statuis ditavit, inter quas muliebrem illam collocavit;* cap. 23, §. 3. rursus §. 4. *Si quis humanarum rerum spiritibus æterna felicitate fruentibus sensus restat; quantum ex pudore ruboris magnus ille pontifex Pius II, qui Æneæ Sylvii nomen illustravit, bonusque & si quis pius alius, Pius tertius, contrahere debent, mulieris hujus inter decessorum Iconas, imaginem stare passi?*

℟. Atqui Pius secundus anno 1464, Septembris 15, solido antè Michaëlis natalem decennio, tertius anno 1503, Octob. 17. labente 29 Michaëlis anno obdormivit;

dormivit; quo vix (qui postea æquævos omnes superavit) ullum inter artifices nomen sortitus erat. decessit enim Michaël Angelus, Bonarota, nonagenarius, anno Domini 1564, prout ex Benedicti Varchii & Georgii Vasarii lucubrationibus adnotavit vir illustris memoriæ Iac. Aug. Thuanus, hist. libro 35. verum litibus assueto, quique secum consentire nequeat, Ræmundo, cum aliis parum convenire nemo mirabitur.

86 *Decantatam Caligulæ pyramidem Sixtus quintus pristino loco restituit.* cap. 23. §. 6.

℟. Ipsa vetus obelisci inscriptio, *Divo Cæsari, Divi Iulii filio Augusto, Tiberio Cæsari Divi Cæsaris filio Augusto sacrum* fuisse, Ræmundumque temere quicquid (vel per somnium) in mentem venit, chartis illevisse docet. Vide ad finem libelli inscripti *Ritratto di Roma antica.*

87 *Sanctum Elmum*, seu verius Hermetem *salutis nostræ*, altaris sacramentum vocat cap. 24. §. 4. quasi vero plus nihil ad salutem nostram sanctifica Dominici corporis communicatio, quam vulgo credita Hermetis apparitio conferat.

88 *Illyricus Hadrianum ob excommunicatum Fredericum miraculose defunctum asseverat, dum inter bibendum à musca strangulatum narrat.* cap. 25. §. 2.

℟. Nec

℞. Nec angina confectum à quibusdam asseri dissimulavit, nec primus *à musca enectum*, qui Urspergensem, Platinam, Stellam secutus est, somniavit; nec *ob excommunicatum Fredericum* vita pulsum scripsit, à Dodechino *morte præventum*, *Imperatorem* (*quem excommunicare disposuerat*) *à Censuris ejus immunem* fuisse edoctus Illyricus.

89 *In vitiis alienis nostra notare debemus,* (*inquiebat apud Plutarchum philosophus*) *nisi ex sagæ Lamiæ genere simus.* cap. 26. § 2.

℞. Dixeris plane repertum ullum qui Lamiam revera fuisse crederet philosophum, ejusdemque nixum Plutarchum testimonio fuisse. At utrumque falsum est: initio enim libri περὶ πολυπραγμοσύνης ex Xenophontis Oeconomico p. 843. refert Oeconomos probos suum utensilibus quibusque domi locum dare; tum addit οὐν ἢ ὥσπερ ἐν τῷ μύθῳ τὴν Λαμίαν λέγουσιν οἴκοι μὲν ἄδειν τυφλὴν, &c. ut Ræmundum apertis inter legendum oculis quid somniaret, non quid legeret, in animo habuisse clareat.

90 *Vetus Byzantium ab Imperatore Severo Pertinace in bello contra Pascenium Nigrum eversum, ac postea à Gallieno solo æquatum fuit.* cap. 26. § 3.

℞. Quandoquidem *Pertinacis nomen aboleri*

aboleri voluisse Severum, *querimonia amicorum*, refert Spartianus, imprudenter ac improba contra Severi mentem pertinacia, eum *Pertinacem* vocat Ræmundus. Malè etiam ab eo Nigro, *Pascenii*, non Pescennii nomen datum. nec verius *à Galieno solo æquatum, à Constantino restauratum Byzantium* asserit; siquidem non penitus à Galieno excisum, sed *vastatum ut nemo superesset*; quod suo tempore *clarum claustrum Ponticum novis habitatoribus frequens Byzantium* noverat Trebellius Pollio [1], quem sub Constantio Chloro Cæsare, inter annos Domini 292 & 304, antè ampliatum *ad quindecim stadiorum seu 1875 passuum ambitum* à Constantino magno Byzantium, quod jamdudum posita ira [2] *restauraverat, & amplissimis porticibus decoraverat* Severus, annis ad minimum viginti, vixisse constat.

[1] *In Gallieno.*

[2] *Zosim. lib. 2.*

91 *Ludovicum secundum anno 872, Hadriani secundi manibus coronatum fuisse, certum est.* cap. 37. §. 3.

℞. Hadrianum anno 872, Kal. Novemb. decessisse, ex illius ipsius quem Ræmundus laudat testimonio longe certius est; *Aimoini nimirum continuatore lib. 5. c. 29. Regin. Marian. Scot. lib. 3. æt. 6. Sigeb.* &c. nec ab Hadriano anno 871, *die Pentecostes* imperii coronam accepit; sed

regni Lotharii fratris: antea enim, anno nim. 844, à Sergio II *regni Longobardici* coronam (Anastasio & Sigeberto testibus) sumpserat, & 849 à Leone IV Imperialem, prout ex Conciliis, Romano, Ticinensi, Valentino, annis 853, 854 & 855 congregatis constat. Vide Baron. Card. A. D. 871. §. 41.

92 *Papæ Occidentis Imperatores instituentes hanc sibi auctoritatem reservarunt, ut principes, Romani pontificis manibus coronari necesse esset.* cap. 28. §. 1.

℞. Unde vero constat *Papas occidentis Impp.* proprie *instituisse*? nihil enim nisi nudum nomen Carolo magno Romanæ Vrbis subjacentisque Ducatus, ab ipso ferè regni exordio *patricii* titulo imperium possidenti, Leonem tertium Romanosque contulisse, certo certius est. Quis etiam veterum Pontificibus coronandi Imperatoris reservatum jus fuisse, prodidit? hæc gratis fingere licet, sed impossibilis plane (ne difficilem dicam) probatio est.

93 *Gregorius quartus ut Imperatorem Ludovicum, ob adulterium in Iudica quadam admissum puniret, eum (quo peccatum defleret) in monasterium compingi curavit.* Ibid. §. 2.

℞. Atqui nec Ludovicus à veterum quo-

quoquam ſtupri, proprie dicti, reus peractus eſt; nec (ſi adulter) crimen in Iuditha legitime anno 819 ducta uxore, admiſerit: nec *ut ob adulterium puniretur* in monaſterium truſus, nec à Gregorio quarto vel ejus mandato truſus eſt. Singula hæc ut temere falſoq; in optimi principis, Romanæque ſedis probrum, à Ræmundo efficta, conſtet, unde Ludovici calamitas orta ſit pandam. Anno 828, *Bernardum Barcinonæ Comitem Camerarium in palatio ſuo conſtituit*: anno 829 conjurati in Bernardum primores Aquitanorum regem Pippinum in partes trahunt, Bernardum *thori paterni inceſtatorem* cauſantur; Iudithæ manus injiciunt, eandemque intentato mortis metu eo adigunt, ut fidem daret *ſe perſuaſuram* Imperatori, *ut abjectis armis, comiſque reciſis monaſterio ſe inferret*, imò *ſe impoſito capiti velo itidem facturam* ſponderet. *Ipſa velum ſuo capiti imponit; ac de attonſione ſua* (Juditha uxore *in monaſterium Sanctæ Radegundis* detrudi juſſa) *deliberandi tempus poſcit* Imperator. Anno 830 Hilduinum Sancti Dionyſii Abbatem relegat, Walam Corbejenſem patruelem *ad monaſterium redire* jubet, Iuditham *conjugem revocat, eam tamen donec ſe legali præſcripto modo ab objectis purgaret, conjugis honore non dignatur.* Anno 831, *mo-*

Fridericus Vltrajectinæ Eccleſiæ Epiſcopus, ductam ab eo Iuditham conſanguineam improbavit.

dum se purgandi ab eo quærit; cessantibus armis se juramentis purgat Bernardus. Anno 832, *Bernardum* eundem, *cujus* tunc *consilio utebatur Pippinus* filius, *honoribus privat* Imperator. Anno 833, conjurati adversus Imperatorem patrem filii reges, *Gregorium Papam advocant.* Durius ab Imperatore exceptus Gregorius, *non se ob aliud iter suscepisse quam ut pacem inter utramque partem sereret*, proteſtatur; ideò remittitur. Poſt dies aliquot Imperiali exercitu d rebelles filios deficiente, eorum ſe fidei committere cogitur Imperator; Iuditha ab eo abſtracta [1] Dertonam [2] mittitur; Papa Romam repetit. Lotharius *in Sancti Medardi monasterio patrem sub arcta custodia esse præcipit*; Adjudicatum *absentem & inauditum, nec confitentem, nec convictum, antè corpus S^ti^ Medardi Confessoris & S^ti^ Sebastiani martyris* eundem *arma deponere cogunt, pullaque indutum veste adhibita magna custodia sub tectum quoddam retrudunt* Epiſcopi. Anno 834, liberatus *in Ecclesia S^ti^ Dionysii Episcopali ministerio reconciliatus, & ab Episcopis rursus armis accinctus, Iudith Augustam ab Italia, reducentibus ipsam Rotholdo Episcopo, Bonifacio Comite, & Pippino fratris nepote, recipit.* Anno 835, Ebo Rhemenſis Epiſcopatum deſerit; *Agobardus Lugdunensis præsulatu removetur.*

[1] *Annal. Astronomi.*
[2] *Vita Ludovici Thegan. c. 42.*

Anno

Anno 836, *Quanta lues mortalis populum qui Lotharium secuti sunt invaserit, mirabile est dictu: brevi enim (à Kal. nim. Septembris, usque ad St Martini festum) subsequentes ex primoribus ejus vita excesserunt; Iesse olim Ambianensis Episcopus, Helias Tricassinæ urbis Episcopus, Walah Corbejensis monasterii Abbas, Matfridus, Hugo, Lambertus, Godefridus*, &c. hæc Annal. ab Astronomo coætaneo & domestico scripti, Theganus, Annal. Bertin. Metens. Fuldens. Marianus, &c.

94 *Lotharius Germaniæ Rex Tilbergam reginam expulerat.* Ibid.

℞. Nec *Germaniæ regnum*, quod Ludovico patruo contigerat, sed Galliæ Orientalis inter Rhenum, Scaldim, Mosam & Lemanum lacum sitæ, cujus pars maxima postea *Lotharingia* dicta est, possessionem sortitus est; nec *Tilbergam*, sed Hucberti Abbatis sororem Teutbergam uxorem habuit Lotharius.

95 *Postquam vir sanctus Nicolaus animam Deo reddidit, Lotharius Valdradæ pulchritudine inescatus eam revocat ad se, quod attentare (quamdiu vixerat animosus juratusque vitii hostis Nicolaus) ausus non fuerat: sed Hadrianus Nicolai vestigiis institit, Lothariumque Romæ citari curavit.* Ibid. §. 3.

℞. Quæcunque de *Valdradæ* poſt Nicolai exceſſum *revocatione*, *Lothariique* per Hadrianum *citatione* fabulatur Ræmundus, vigilantis ſomnia ſunt. Queſtus enim de Nicolai credulitate Lotharius, plenam Hadriano ſatisfactionem obtulit, quam is (Reginone & Mariano teſtibus) ſuſcepit. Quam vero ex fide Latina Reginonis verba reddiderit, hinc patet: 1. Anno 863, Hadriano Lotharium ſatisfeciſſe fingit, quantumvis Teutbergæ expulſionem in annum 865 Regino, Marianuſque contulerint; nec antè Decemb. 14, anni 867, conſecratus fuerit Hadrianus. 2. Bis Lotharium, quem *regem* tantum (Ludovici Imperatoris memor) dixerat Regino, *Imperatorem* vocat. 3. ubi Regino *ad menſam Chriſti à Papa invitatum* Lotharium *accepto in manibus corpore & ſanguine Domini*, Lothariumque *abſque retractatione, communionem corporis & ſanguinis Domini de manu pontificis ſumpſiſſe*, *manducaſſe & bibiſſe indigne* refert, *menſæ*, *Dominici ſanguinis*, *bibendi* (truncato Reginonis textu) mentionem omnem reſecat, cætera licenter pro more vertit.

Ne quem autem deinceps tranſverſum propenſior in Ræmundum affectus abripiat; quæ male miſcuit, ſuis diſtincta temporibus ſigillatim repræſentabimus, verum-

verumque, (quoad licet) omni ex parte aſſeremus. Anno 860, Lotharii quinto, Ianuarii d. 9, & mediante Februario, oblato binis Epiſcoporum Aquiſgrani congregatis conventibus libello, inceſtum confeſſa Teutberga pœnitentiæ ſubmiſſa eſt. *Hincmar. de divortio Lotharii, reſp.* 1. *Epiſcoporum ad Nicolaum Papam epiſtola. Concil. Gallic. Tom.* 3. *p.* 158. Anno 862, April. 29, Indict. 10. Aquiſgrani congregata à Lothario Synodus permittit divortium. *Vide acta & Sigebertum.* Legatos Radoaldum Portuenſem & Ioannem Ficolenſem, Novemb. 23, Indict. 11, ad Lotharium mittit Nicolaus. *Vide Nicol. epiſt.* 17, 18, 19, 22, 23. Lotharii & Valdradæ conjugium in Natali Domini benedicitur. *Nicol. epiſt.* 21. Anno 863 menſe Iunio, Teutbergæ repudium, Valdradæque conjugium confirmat, præſidentibus Nicolai Legatis, congregata Metis Synodus. *Nicol. append. epiſt.* 3. *Annal. Fuld.* Lotharii Synodique Legatos Teutgaudum Trevirenſem & Guntharium Colonienſem Epiſcopos (reſciſſo Synodi Metenſis decreto) deponit Nicolaus; adverſus Nicolai ſententiam proteſtatur uterque; acquieſcit paulo poſt Teutgaudus, reluctatur in finem Guntharius. *Nicol. epiſt.* 4, *& Append.* 4. *Annal. Fuld.* rogatus à Synodo Sylvanectenſi ſenten-

tiam in melius mutare, recuſat Nicolaus. *epiſt.* 32. Anno 865, Arſenium Ortenſem Epiſcopum legatum in Germaniam Galliamque mittit, *Nicol. epiſt.* 25, 26, 27. *Append.* 11. *Annal. Fuld.* Valdradam Feb. 2, excommunicat, *Append. epiſt.* 12, *anno* 866, *Iunii data.* Anno 867, Ianuar. 24, Teutbergam, ne animum deſpondeat monet, *epiſt.* 48. Ianuar. 25., ad Epiſcopos Lotharingiæ Carolumque Calvum de Valdradæ excommunicatione, *epiſt.* 47 & 50 ſcribit. Lothario *epiſt.* 51 minatur, *Martii* 7. à Ludovico Germaniæ rege ut Lotharium nepotem ad diligendam Teutbergam excitet, Octob. 30 data, *epiſt.* 53 exigit: eundem *epiſt.* 55 & 56 ne pro Tetgaudo Gunthario que intercedat, monet; de Lothario *Octob.* 31. *epiſt.* 58 queritur: Epiſcopos in regno Ludovici Thetgaudi & Guutharii fautores objurgat. Valdrada clancūlum ex Italia revocata. Nicolaum irritat Lotharius, *Annal. Metens. Fuldens.* eundem placaturus in Italiam proficiſcitur; ſed fruſtra. nam mortuum reperit. *Ibid.* Anno 868, Febr. 12, *epiſt.* 10, *ad Ludovicum Germaniæ regem* Lotharii abſentis regnum invadi vetat Hadrianus ſecundus. Lotharium epiſt. 6. ad reconciliationem cum Teutberga hortatur idem. Aſſe Valdradæ reſtitutam communionem *epiſt.*

7 &

7 & 8 monet. Lotharius Beneventi toto anno 868 apud Ludovicum Imp. fratrem hæret. *Annal. Bertin. Metens. Fuld.* Anno 869 Romæ admiſſus ab Hadriano Papa ad communionem Lotharius, paulo poſt Placentiæ Auguſti 8 decedit. *Annal. Bertin. Metens. Fuld. Regino, Marian.*

96 *Epiſtola, quam Michaël Porphyrogenetus Nicolao Papæ direxit, reperitur; in qua Romam turpiſſimis, quos miſcere valuit, coloribus depictam videre eſt.* cap. 28. §. 6.

℞. Ubi gentium reperitur? non certè in editis quotquot extant rerum toto Michaëlis tempore geſtarum commentariis; neque Baronio, Ciaccono, Victorello innotuit, quod ſibi compertum gloriatur Ræmundus; ſiquidem conceptis A. D. 865. §. 75, verbis Vaticanæ Bibliothecæ curator Baronius, hæc habet: *Non extant ipſæ quidem blaſphemæ Michaëlis Imp. literæ ad Nicolaum; nam Synodalis ſententiæ publico decreto fuiſſe traditas igni, quæ ſumus dicturi ſignificant.* Sed eas forte (Phœnicis inſtar) in favillas reſolutas è medio rogo, poſtliminio excitavit Ræmundus noſter, ut Roma Burdigalam in ſinum ejus evolarent.

97 *Poſt Formoſi mortem Stephanus ſeptimus ſucceſſor quotquot conſecraverat presbyteros gradu movit, conſtitutiones ejus omnes caſſavit, revocavitque, tanquam ab eo qui nul-*

lam poteſtatem haberet factas, quia compertum & probatum, Tormoſum à Ioanne VIII circa annum 880 *degradatum fuiſſe.* cap. 29. §.6.

R. Cum in Synodo apud Pontigonem 5 *Idus Iulii*, feria 4, Ioannis Papæ *de damnatione Formoſi Epiſcopi, Gregorii & conſentientium eis epiſtola relecta* ſit; Synodum autem Pontigonenſem anno 876, Indict. 9, Iunii 22, feria 6 inchoatam, Iulii 16, feria 3 ſolutam, ex *Annal. Bertin.* Aimoini libro 5, cap. 32, 33. quæque ſuperſunt Actis conſtet: malè eam ad annum 880 referri, palam eſt: imprudenter etiam damnationis in Formoſum, *perſecutionem paſſum*, cujuſque *cauſa* (ſi Baronio A.D.876, §. 22 fides) in hanc diem *ignoratur*, pronunciatæ, memoriam refricare audet Ræmundus, poſtquàm Marinus pontifex * anno 883 Ioannis judicium *aliaque ejus perperam facta reſcidit, & Sanctorum imagines* (ſic enim vult Luitprandus lib. 1, c. 8. ex eoque Sigebertus) poſt Stephani ſententiam, *Formoſum in loculo quieſcentem venerabiliter ſalutarunt*: à Stephano ſeptimo intruſo [1] attentatum in eum facinus, *violentam tyrannidem, nefandum, ſacrilegum, nefariumque factum, ſcelus impium & deteſtandum*, quod *ſuaſit exæſtuans rabies*, & ira cœleſtis [2] in *Baſilicæ Lateranenſis Angelo malo impulſore ab altari uſque ad portas penitus ſolo proſtratæ*

* Baron. A.D.883.§.1.

[1] A.D. 897. §.2,3.

[2] Ibid.7.

proſtratæ ruina ulta eſt; & anno 904 Ravennæ [1] in 74 Epiſcoporum Synodo actis publice *combuſtis* [2], *Epiſcopis, presbyteris, Diaconis, & ſubdiaconis à Formoſo, quorumdam libitu temere dejectis, in proprios ordines, & gradus reductis, perpetuoque robore ac Canonica cenſura, Deo auctore ſtabilitis*, Theodorus & Ioannes IX [3] *penitus abdicarunt: Illud* vero *valdè indecens* (ut Baronii Card. verbis utar) *quod ob reaſſumptum Epiſcopatum in Formoſum, nonnulli rerum geſtarum ignari temerè obloquuntur*, &c. Vide A. D. 883. §. 1.

98 *Legatur Aventinus, auctor æque vel paulo minus antiquus, ac aſſertores Pſeudo Papiſſæ.* cap. 30. §. 2.

℞. Abſurde; ſiquidem Aventini natalis in annum 1466, à Mariani deceſſu 380 incidit, prout ſupra docuimus.

Plura Ræmundianæ imperitiæ argumenta ad manum erant; verbi gratia, ubi [4] *Aimondum*, pro Aimoino; [5] *Borochoram*, pro Banchora; [6] *Ephroſinen*, pro Euphroſyne; [7] *Galinarium*, pro Gelimere; [8] *Grinoohecham*, pro Greenwicha; [9] *Crant* & *Crans*, pro Krantzio; Leonem [10] *Archidamum*, pro Acridano; [11] *Moſeum*, pro Moſcho; [12] *Phocium*, pro Photio; [13] *Simblerum*, pro Simlero; [14] *Theraſium*, pro Taraſio; [15] *Valenum*, pro Veleno; [16] *Weſtmonſta-*

[1] *A. D.* 904. § 3.
[2] *Ibid.* 7.
[3] *Ibid.* 4. *Sigeb.*
[4] Cap. 14.
[5] Cap. 9.
[6] Cap. 11.
[7] Cap. 21.
[8] Cap. 13.
[9] Cap. 1, 21.
[10] Cap. 16.
[11] Cap. 21.
[12] Cap. 8. 21.
[13] Cap. 2.
[14] Cap. 21.
[15] Cap. 19.
[16] Cap. 27.

monſtarienſem, pro Weſtmonaſterienſi; [r] *Vſpourg*, & *Vsbourg*, pro Urſperga ſcripſit: ſed malim ejuſmodi ſphalmata operis typographicis imputare; nè (cùm deartuando *Erroris popularis* corpori plus ſatis ſuprà ſcripta ſint) faſtidium lectoribus moveamus, tandemque à nauſeabundis audiamus, Ἅλις δρυός.

[r] *Cap.* 13. 16. 17. 20.

FINIS.

Typographus Lectori S.

Tabula ſequens Chronologica (quæ ſextam hujus ἀνακρίσεως partem conſtituit, ut numerus VI *ei præfixus indicat) debuerat immediate ſubjungi parti* V, *ſeu Tabulæ in qua Mariani & Sigeberti ſententia expenditur, & inter pag.* 44 *&* 45 *collocari. Sed quia unico folio contineri non poterat, proindeque tractatu & lectu incommoda fuiſſet, viſum eſt præſtare illam in minores tabellas dividere, & hîc ad calcem operis, quamvis loco alieno, ſubjicere. Quod non impediet quominus eam ſuo vero ordine legas & conſideres. Vale.*

Anni Domini.	Anni Ludovici Pii.	Anni Lotharii cum patre regnantis.	Anni Imperii Ludovici cum patre.	Anni regni Ludovici cum patre.	Anni consulatus Ludovici II.	Anni Ludovici & Caroli Calvi ex Sigeberto.	Anni Theophili ex Sigeberto.	Anni Theophili ex Curopalata.	Anni Gregorii IV.	Indictiones desinentes in Septembre.	Indictiones ineuntes à Septembri.
840	27	24					10	12	13	3	4
841	Lotharii solius. 1	25					11	13	14	4	5
842	2	26					12	Michaelis, 1	15	5	6
843	3	27					13	2	16	6	7
844	4	28	1	1			14	3	Sergii. 1	7	8

V I. *Tabula Chronologica.*

Auctorum testimonia.

Ludovicus Pius Imp. Iunii 20, feriâ 1, fatis concessit. Vide suprà.

Notæ.

Hinc Caroli Calvi annos auspicantur Synodi, Tolosana in villa Colonia, apud Lauriacum, A. D. 843. ad Theodonis villam & Vernum A. D. 844 ad Belvacum, Meldas, Parisios A. D. 845. ad Turones 849. ad Suessionem 853. ad Saponarias A. D. 859. ad Tusiacum 860. ad Duziacum 874. ad Ticin. & Pontios. A. D. 876.

Maji 13 fer. 6 cæsus cum *innumerabili multitudine* Adalbertus Comes à Ludovico. *Annal. Fuld.*

Iunii 25 feria 7 prælio *super Rindam Burgundionum* propè Fontaneum à fratrib. victus Lotharius. *Nithard. Annal. Bertin.*

Eclipsis Lunæ Matt. 30 feria 4 [Martii 19 fer. 3] in Sentiaca valle à fratrib. victus Lotharius. *Nithard.*

Mediante Iunio feria 5 propter civitatem Matisconis in Insula Ansilla conveniunt fratres. [*Idem.*

Divisum à fratribus regnum Virduni mense Augusto. Annal.

Iudith Imperatrix obiit April. 24 Turonibus. Annal. breves.

Synodus apud Laviacum in pago Andegaviensi mense Octobri indict. 7.

Cum Sigebertus hanc divisionem in annum 844 rejiciat, ab 845 Ludovici & Caroli Calvi annos ordiri coactus est.

Sergius Rom. Eccl. 100 præsidet: ad cujus electionem confirmandam Ludovicus filius Imperatoris Lotharii à patre missus, ab eodem Papa in regem Longobardorum unctus est. *Sigeb. ex Anastasio,* Annalib. Bertinianis.

Conventus Tolosanus mense Iunio: alius in villa Colonia: alius in Theodonis villa mense Octobri: alius in Verno palatio mense Decembri.

Concil.

845	5	29		2		1	15	4	2	8	9
846	6	30		3		2	Michaëlis 1	5	3	9	10
847	7	31		4		3	2	6	Leonis 4 1	10	11

Concil. Belvacenſe menſe Aprili, quo Hincmarus Rhemenſi Archiepiſcopatu donatus eſt.

Concil. Meldenſe Iunii 17, Lotharii Imp. & Caroli Calvi anno ſexto inſtante, ſeu 5 exeunte, Indict. 8.

Eclipſis Solis Octob. 18, fer. 1. Nithard.

Conventus in villa Sparnaco.

Annus Leonis quarti primus Hermanno male.

Concil. Parif. anno ab incarnatione Domini (ſeu Martii 25 ineunte) 846, Febr. 14, Indict. 10.

Conventus Lotharii, Ludovici & Caroli fratrum, ad Marſnam, menſe Februario.

Leo IV natione Romanus ex patre Radoaldo, ſedit annos 8, menſ. 3, dies 5, &c. necdum is qui obierat Pontifex ad ſepulturam debitam fuerat deportatus, & ecce omnes à noviſſimo uſque ad primum una voce, una ſimulque concordia, Leonem venerabilem presbyterum ſibi futurum Pontificem flagitarunt, &c. invitum abſtrahentes cum lachrymis laudibusque præcipuis ad Lateranenſe Patriarchium perduxerunt, &c. hujus beati tempore terræ motus in urbe Româ per indictionem factus eſt decimam. *Anaſtaſ.* Sergius Rom. Pontifex, 6 Kal. Febr. defungitur, & Leo in ejus locum eligitur. Sic *Annal. Bertiniani.*

Vide Sigeb. Weſtmonaſt.

Sed Anaſtaſius April. 12, feria 3, deceſſiſſe vult.

Leo natione Rom. ſedit annos 8, menſes 6, dies 3, &c. hunc Romani omnes unanimiter elegerunt, & dum in ejus electione nimis gauderent, cœperunt iterum non mediocriter contriſtari, eo quod ſine auctoritate imperiali futurum non audebant conſecrare Pontificem, & periculum Rom. urbis maxime metuebant, ne iterùm ut olim ab aliis hoſtibus fieret obſeſſa: hoc timore futuri caſus perterriti, eum continuò Pontificem non expectatâ Principis ſententiâ conſecraverunt. *Luitprand.* ex Anaſtaſio.

Hic ut & in Alberto Stadenſi numeri interverſi ſunt: ſedit enim Anaſtaſio auctore Leo annos 8, menſes 3, dies 5.

K Ne

Anni Domini.	Anni Ludovici Pii	Anni Lotharii cum patre regnantis.	Anni Imperii Ludovici cum patre.	Anni regni Ludovici cum patre.	Anni consulatus Ludovici II.	Anni Ludovici & Caroli Calvi ex Sigeberto.	Anni Theophili ex Sigeberto.	Anni Theophili ex Curopalata.	Anni Gregorii IV.	Indictiones desinentes in Septembré.	Indictiones ineuntes à Septembri.
848	8	32		5		4	3	7	2	11	12
849	9	33	1	6		5	4	8	3	12	13
850	10	34	2	7	1	6	5	9	4	13	14
851	11	35	3	8	2	7	6	10	5	14	15

Ne hoc in futurum malum fieret, omnes prænominatæ muros civitatis Romanæ duodecima instante indictione renovare curavit, &c. ea quæ inter cætera per sanctissimi præsulis assiduas preces & lachrymas exauditas duodecima instante indictione mirabiliter acta, &c. Secundo præsulatus illius anno civitas ædificandi sumpsit exordium. *Anastas.*

Concil. Moguntinum adversus Gotteschalcum circa Kal. Octob.

Concil. apud Carisiacum adversus eundem.

Pristinum reminiscentes lucrum (*Saraceni*) vel prædam quam fecerant, multiplicatâ iterum perversorum hominum manu multisque cum navibus ad urbem expugnandum Romanam, duodecima indictione vigente, venire crudeliter decreverunt. *Anastas.*

Concil. Turonense adversus Nomenoium Britonum Ducem.

Coronatus à Leone Papa Ludovicus Imperator: ut eos planè ratio destituat qui à Ioanna coronatum putant; ejus tamen in annum sequentem coronationem Annales Bertiniani rejiciunt.

De coronationis tempore dubitare nos vetant Concil. Roma A. D. 853.

Consulatus Ludovici annus primus.

Anastasium Presbyterum excommunicat Leo, Decemb. 16, Indict. 14.

Lotharius filium suum Ludovicum Romam mittit, qui à Leone Papa honorifice susceptus, & in Imperatorem unctus est.

Annal. Bertiniani uno anno serius.

Anno incarn. Dominicæ 851, Indict. 14, & Hlotharii atque Hludovici piissimorum Augustorum 35 in urbe regia Ticino [Synod.

Conventus 2 regum ad Marsnam. [Nomenogius Britto moritur. *Annal. Bertiniani.*

852	12	36	4	9	3	8	7	11	6	15	1
853	13	37	5	10	4	9	8	12	7	1	2

In sexto coronationis *suæ*, utpote magnis ac mirabilibus omnis est fabricis civitas undique consummata. *Anast.* hic auxilio & consilio Lotharii Imp. urbem, quam circa Ecclesiam B. Petri inceperat, consummavit pleniter. *Luitprand.*

Hoc anno ex mente sive Sigeberti, sive interpolatoris, Ioanna Pontificium cœpisse imperite fingitur.

Cum consilio serenissimorum Hlotharii ac Hludovici Imperatorum, anno imperii eorum xxxv, atque Pontificatus jam dicti præsulis septimo, mense Decembris, die 8, indict. 2, sanctam ac venerandam in Ecclesiam B. Petri Apostoli Synodum congregavit: in qua tam ipse Catholicus & Apostolicus vir, quamque & alii cum eo 67 Episcopi resederunt, &c. tunc coram omnibus 42 capitula, quæ profecto ad salutem & lucrum omnium Christianorum hominum pertinere noscuntur, per Diaconos sanctæ & universalis Ecclesiæ sedis legi præcepit, quæ etiam capitula ut in futurum ab omnibus illibata serventur, post cætera decreta Pontificum in sanctis Canonibus jussit adscribi, &c. in hac denique post cætera Synodo Anastasius Presbyt. Cardinal. tituli B. Marcelli ab omnibus canonicè est depositus, * eo quod parochiam suam per annos quinque contra canonum instituta deseruit. *Anastas.*

lege xxxvii: nam anno 817 Imperator à patre renuntiatus est Lotharius. vide annales Astronomi coævi, & Fuldenses, &c.

hoc ipso anno Ioannam sedisse putat Marianus, absurde.

** Excommunicatum à Leone Anastasium Ravenna in Ecclesia S. Vitalis, Maji 29, Indictione 1, & Roma in Ecclesia B. Petri Iun. 29. Annales Bertiniani notant ad Annum 868.*

Hic videns multa suo tempore contra Deum & animarum salutem impudenter fieri, consilio Imp. Hlotharii & Hludovici Romæ Synodum habuit cum 67 Episcopis, cum quib. 42 capitulis Christianorum saluti necessaria edidit & firmiter tenenda præcepit. *Luitprand. qui 42 illa capitula descripsit.*

Imperantibus Dominis piissimis perpetuis Augustis, Hlothario à Deo coronato pacifico & magno Imperatore, anno 37, & Hludovico à Deo coronato ejus filio novo Imperatore anno 5, mense Decembrio, die 8, indict. 2, in civitate nova cujus vocabulum Leoniana est, intra Ecclesiam ubi corpus Bea-

Anni Domini.	Anni Ludovici Pii.	Anni Lotharii cum patre regnantis.	Anni Imperii Ludovici cum patre.	Anni regni Ludovici cum patre.	Anni consulatus Ludovici II.	Anni Ludovici & Caroli Calvi ex Sigeberto.	Anni Theophili ex Sigeberto.	Anni Theophili ex Curopalata.	Anni Gregorii IV.	Indictiones desinentes in Septembre.	Indictiones ineuntes à Septembri.
854	14	38	6	11	5	10	9	13	8	2	3
855	15	39	7	12	6	11	10	14	9	3	4

tiss. Petri Apostolorum principis conditum est. *Titul deposit. Anastasii Presb. ad cujus finem supersunt Leonis, Lotharii, 67 tam Episcoporum quam ab Episcopis Legatorum, presbyterorum 19, & Diaconorum 6, subscriptiones.*

Synodus Suession. anno incarn. Dom. nostri Iesu Christi 853, Caroli 13. Indict. 1. 6 Kal. Maji.

Concil. Vermeriense anno 853, Indict. 1. 6 Kal. Septembris.

Conventus Lotharii Imper. cum Carolo Calvo fratre apud Valentianas mense Novembri.

His omnibus perpetratis ad sedem suam cum ingenti lætitia & alacritate Christo auxiliante, dieque super addito decimo quinto omnis murorum ambitus completus atque perfectus est, anno præsulatus sui octavo, indict. 2. *Anastas.*

Concilium Ticini anno Domini 854, Ludovici 6, Indict. 2, congregatum,

Leopoleos qua à Centumcellis milliarib. 12 *distat; mense Iunio. Hoc anno Ranulfus, Palmerius, &c. Ioanna initia collocant malè; gravius tamen impingit Sigebertus qui anno* 854, *Benedictum sedere cœpisse putavit.*

Hujus temporibus quidam Magister militum iniquitatis ac stultitiæ mole cæcatus ad serenissima Domini Hludovici Imp. vestigia properavit. His peractis Imp. abiit, & sanctissimus Dom. Leo Papa non post multos dies obdormivit in Domino, 16 Kal. August. *Anastas. in Leone.*

Leo ubi hac luce subtractus præsul occubuit, * mox omnis clerus istius Romanæ pro-

Accusabat scil. Romanus Gratianum Superistam, imo Leonem; accurrit festinus Imp. Leoni reconciliatur, &c. solius autem Ludovici meminit Anastasius, quia Lotharius hoc fere tempore Prumniam secesserat.

* *Ciacconus Iul.* 24, *feria* 4, *octiduo post Leonis dormitionem electum fingit. Bellarm.* de Summo Pontif. lib.3, c.24, *post Leonem* IV *dieb.* 15 *vacasse sedem ab Anastasio scriptum somniat; ut Iulii* 31, *feria* 4, *aut Aug.* 1, *feria* 5, *subrogatus dicatur. at neutrum cum Anastasiana phrasi,* mox omnis clerus congregati sunt, *&c. componi potest: neque feriis* 4, *vel* 5., *electio fieri debuit. Vero igitur propius Bernardum Guidonem secutus Chronici magni Belgici scriptor, qui Leonem* 17 *Kal. Aug. feria* 3, *decessisse, sedem diebus* 6 *vacasse statuit, ut Benedicti electio in Iulii* 21, *feria* 1, *contigisse videatur: malim tamen in Iul.* 19, *feriam* 6 (*qua non infrequenter electiones peractæ sunt*) *altero à Leonis exequiis die contigisse.*

K 4 jectæ

855	15	39	7	12	6	11	10	14	9	3	4

jectæ ſedis univerſique proceres cunctuſque Senatus ac populus congregati ſunt, Domini clementiam exorantes, ut beatificum omnibus demonſtrare dignaretur paſtorem, &c. uno conamine Benedictum pro tantis quibus pollebat ſacris operibus promulgaverunt eligere, &c. deprecabatur (*Bened.*) taliter dicens, *non me à mea deducatis Eccleſia*, &c. illi non acquieverunt, ſed virtutibus eum ex eodem titulo abſtrahentes, &c. in Patriarchium Lateranenſe perducentes poſuerunt, &c. Clerus & cuncti proceres decretum componentes propriis manibus roboraverunt, & (conſuetudo priſca ut poſcit) invictiſſimis Hlothario † ac Hludovico deſtinaverunt Auguſtis, &c.

Nicolaus Anagnina antiſtes Eccleſiæ, & Mercurius Magiſter militum (*legati*) Arſenio Eugubino Epiſcopo obviantes, ad invicem confabulari cœperunt, &c. ut depoſitum anathematizatumque (*A. D.* 853, Decemb. 8.) Anaſtaſium Pontificatus infula perornarent. * Euntes itaque Hludovico decretum benigniſſimo Cæſari dantes, &c. Romam reverſi ſunt, adventumque miſſorum nunciantes Imperialium epiſtolas eidem inſigni obtulerunt electo, quib. Auguſti continebantur reſponſa. Poſt aliquot dies miſſi Hortam, quæ 40 miliario à Roma diſtat, properaverunt, &c. Miſſi quoque qui Imperatori noſtrum decretum beniginiſſimo de electione Benedicti porrexerant, id eſt, Nicolaus Epiſcopus, & Mercurius Magiſter militum, cognitum conceptum habentes conſilium cum aliis quibuſdam Roma egreſſi nobilium, id eſt Gregorio, Chriſtophoroque Magiſtris militum obviam quaſi Imperatoris legatis profecti ſunt, &c. urbe deinde exeuntes ab Horta, juxta Baſilicam B. Leucii martyris pervenerunt inſultantes, &

† *itaque ante* 22 *Septembris* 855 *quo abdicavit Lotharius.*

* *de Anaſtaſio à Leone* IV *Decembris* 8, 853 *depoſito, hac Annales Bertiniani ad A. D.* 868. *Poſt mortem Leonis digna memoriæ Præſulis, ipſe anathematizatus atque depoſitus Anaſtaſius, ſeculari potentia rediens ab abditis (quibus ſicut fur latitaverat) locis, diabolica fraude ſeductus irretitusque caligines, latronum more, hanc quam non debuerat introire Eccleſiam invaſit, velut ethnicus atque barbarus, ad perditionem ſuæ animæ atque periculum hujus venerandæ Synodi* (anno 853 congregatæ) *cum ſuis nequiſſimis conſentaneis atque ſequacibus picturam deſtruxit, imaque dejecit; quam beatiſſ. Papa Benedictus atque egregius reſtauravit, & luciſluis coloribus decoravit.*

Anni Domini.	Anni Ludovici Pii.	Anni Lotharii cum patre regnantis.	Anni Imperii Ludovici cum patre.	Anni regni Ludovici cum patre.	Anni consolatus Ludovici II.	Anni Ludovici & Caroli Calvi ex Sigeberto.	Anni Theophili ex Sigeberto.	Anni Theophili ex Curopalata.	Anni Gregorii IV.	Indictiones desinentes in Septembre.	Indictiones ineuntes à Septembri.
855	15	39	7	12	6	11	10	14	9	3	4

gloriantes in ſua virtute, cum quibus, Radoaldus Portuenſis Epiſcopus, Tudertinæque urbis Agatho antiſtites aderant, qui clam Roma diſceſſerant urbe.

Hoc ipſe Dei famulus audiens Benedictus electus, Georgium [2] Majonemque venerabiles, &c. Epiſcopos ipſis imperialibus miſſis cum aliquibus literis ſtuduit deſtinare, quos apprehendentes arctius (anathematizato monente Presbytero) vinxerunt, &c. poſtmodum Hadrianum inſignem ſecundicerium ſanctæ Sedis Apoſtolicæ illis atque Gregorium Ducem obviam direxit (*Septemb.* 20, *feria* 6.) Altera die (*Septemb.* 21, *fer.* 7,) jam mœniis properabant, Hadrianum quoque inſignem ſecundicerium vallatum cuſtodibus deducebant. Gratianum [3] vero ſacri ſuper iſtam Patriarchii atque Theodorum ſcriniarium apprehendentes recluſos lanceis retinebant.

His peractis in Baſilica ſancti Petri Romam ingreditur (*Septemb.* 22. *fer.* 1,) celeriterque ad Lateranenſe properavit Patriarchium, ſolioque quod nec manibus debuerat contrectare, reſedit; & cuidam Balneo regienſi Epiſcopo, qui vocitabatur nomine Romanus [4], præcepit ut Beatiſſ. Benedictum ejiceret ſolio, &c. Tunc eundem cuſtodibus, qui arctius eum conſtringerent, tradere ſtatuit; Ioanni ſcil. Hadrianoque dudum presbyteris, qui à Leone Præſule pro illorum criminibus damnati fuerant.

Altera vero die (*Septembr.* 23, *fer.* 2,) Epiſcopi cum univerſo Clero ac populo in Æmi-

[1] Vterque & Nicolaus Anagninus A. D. 853, Decemb. 8, Anaſtaſii damnationi ſubſcripſerat. Radoaldus A. D. 860, Sept. 25, Indict. 9, cum Zacharia Nicolai Anagnini ſucceſſore, Conſtantinopolim miſſus neglectis in Photii gratiam mandatis Ignatium throno deturbavit: quod ſimul ac Romanis innotuit A. D. 863, in Zachariam præſentem confeſſumque animadverterunt, dilata in Radoaldum abſentem ſententia. tunc enim cum Ioanne Ficolenſi iterata legatione fungebatur A. D. 862, Novembris 23, in Gallias ob Iudithæ raptum Lotharique junioris divortium miſſus: A. D. 863, Iunio menſe Metenſi Synodo præfuit idem, ſed prævaricationis pœnas poſt exquiſitas latebras & diverticula nec effugit redux. Nicol. epiſt. 6, 8, 9, 10, 12. A. D. 860, Novemb. 23, datis. 21, A. D. 863, ſcripta, ut & 52 & 53, A. D. 865, exaratis. Vide rurſus epiſt. 7.

[2] Georgius Polimarſienſis cum Majone Privernate in Concilio A. D. 853, Decemb. 8 congregato ſedit.

[3] Quem Daniel militum Magiſter paucis ante Leonis dormitionem dieb. Majeſtatis reum peregerat.

[4] Succeſſit is Leoni, qui Concilio A. D. 853, ſubſcripſit.

lianæ

Anni Domini.	Anni Ludovici Pii.	Anni Lotharii cum patre regnantis.	Anni Imperii Ludovici cum patre.	Anni regni Ludovici cum patre.	Anni consulatus Ludovici II.	Anni Ludovici & Caroli Calvi ex Sigeberto.	Anni Theophili ex Sigeberto.	Anni Theophili ex Curopalata.	Anni Gregorii IV.	Indictiones desinentes in Septembre.	Indictiones ineuntes à Septembri.
855	15	39	7	12	6	11	10	14	9	3	4

lianæ titulo convenerunt, in quo etiam Augusti legati frementes convenerunt, &c. in quoddam cubiculum ipsius Basilicæ sunt ingressi diversaque consilia meditabantur; in quod etiam Ostiæ & Albani [5] Antistites coactos introduxerunt, quos molliore sermone blandisque reducere adulationibus decertabant.

Tertia feria (*Septemb.* 24) lucescente omnes Episcopi cum Clero ac populo in Basilica Salvatoris quæ Constantiniana dicitur congregati sunt. Illico Anastasius magna cum turpitudine de Patriarchio ejectus atque expulsus est, &c. Episcopi cum universo Clero ac populo Beatiss. accipientes Benedictum cum omni alacritate atque exultatione cum ipso in Basilicam Salvatoris quæ Constantiniana dicitur descenderunt, &c. quem etiam magna populi præcedente caterva in Basilicam Dei genitricis quæ *ad præsepe* [6] dicitur deduxerunt, in qua jejuniis & orationibus tribus dieb. noctibusque (*Septemb.* 25, 26, 27, *fer.* 4, 5, 6,) vacantes summam Majestatem Domini multis cum lachrymis exorabant.

Expleto jejunio (*Septemb.* 28, *fer.* 7,) omnes qui se anathematizato depositoque conjunxerant, in jam fatam Basilicam convenerunt, &c. subito omnes Episcopi universusque Clerus atque innumera Rom. populi multitudo ex eadem eum deducentes Basilica cum hymnis & Canticis spiritualibus in Patriarchium Lateranense introduxerunt.

Prætereà Dominica die [7] diluculo in Basilicam B. Petri Apostoli ab Episcopis, Clero, proceribus deductus est, & in conspectum omnium Imperialibus missis cernentibus in Apostolica sede (ut mos est & antiqua traditio dictat) consecratus ordinatusque est Pontifex. *Anastas. in Benedicto.*

Leone Papa defuncto Benedictus miræ beatitudinis vir & sacratissimus Pontifex su-

[5] *Megistrum & Petronacium qui in eodem Concilio sederunt: per Megistrum Dionysiano monasterio A. D.* 857, *privilegium contulit Benedictus: à Petronacio, Nicolao Anagnino, & Ioanne Velitrensi citatum Anastasium S. Marcelli presbyterum refert Anastas. Bibliothec. in vita Leonis* IV.

[6] *Hodie S. Maria Major dicitur.*

[7] *Septemb.* 29, *quo Lotharius decessit. non itaque falso Albertus Stadens. Matthæusque Westmonasteriensis* mensib. 2. dieb. 12. *sedem vacasse scripserunt. vide supra.*

perno

Anni Domini.	Anni Ludovici Pii.	Anni Lotharii cum patre regnantis.	Anni Imperii Ludovici cum patre.	Anni regni Ludovici cum patre.	Anni consulatus Ludovici II.	Anni Ludovici & Caroli Calvi ex Sigeberto.	Anni Theophili ex Sigeberto.	Anni Theophili ex Curopalata.	Anni Gregorii IV.	Indictiones desinentes in Septembre.	Indictiones ineuntes à Septembri.
855	15	39	7	12	6	11	10	14	9	3	4

perno protectus auxilio Romanæ præponitur sedi. *Idem in Nicolao* 1. Mense Augusto Leo Apostolicæ Sedis antistes defunctus est, eique Benedictus successit. *Annal. Bertiniani* male.

Sicut post mortem quarti Papæ Leonis, ita post obitum tertii Benedicti Pontificis, subire summum Pontificium, nisi ipse diversis argumentis & exquisitis exactionibus verecunde subterfugisset, cogeretur. *Guill. Bibliothec. in Hadriano* 2.

Benedictus natione [8] Romanus ex patre Petro, sedit annos 2, mens. 6, dies 10. fuit temporibus Hlodwici filii Hlotharii, filii Hlodwici Imperatoris. Postquam Clerus & populus hunc & renitentem elegerunt, & juxta morem in Patriarchium deduxerunt: decretum componentes & manibus propriis roborantes, ut prisca consuetudo poscebat, Hlothario [9] & Hlodwico Augustis destinaverunt. Sed legati decretum deferentes in itinere corrupti in Anastasium presbyterum à Leone depositum, voluntate illum præficiendi declinaverunt; & hoc apud principes prædictos versutia calliditatis effecerunt: quatenus eorum voluntati consentientes Romam legatos, qui Anastasium inthronizarent, dirigerent. Qui cum illuc venerunt, prædictum depositum violenter in Patriarchium introduxerunt, & Benedictum ejectum & pontificali veste nudatum in arcta custodia servari jusserunt. Sed demum ex communi voto & sententia triduano jejunio cum orationibus & vigiliis celebrato, ab omnibus & etiam ab his qui prius excommunicato presbytero faverant unanimiter nutu divino in Benedictum convenerunt; & ita præsentia & consensu legatorum Imperialium [10] est consecratus in Pontificem. *Luitprand in Bened.* 3.

Hincmari missi quib. in itinere Leonis obitus innotue-

8 *Ex Anastasio. Vide supra Herman. Honorium. Albert. Stad. Westmonasteriens. &c.*

9 *Priusquam scil. Lotharius abdicasset: hinc patet quo sensu Luitprandus, Benedictum* temporibus Hludwici *non fuisse scripserit, & Leoni* (jam tamen defuncto Hlothario) *substitutum dixerit Ado: quia nimirum eodem quo Benedictus incardinatus est die fatis concessit Hlotharius; quem* 74 *à Leonis* IV *dormitione dieb. Prumiæ fatali necessitati succubuisse docuimus, nocte inter Septemb.* 28, *feria* 7, *&* 29 *feria* 1.

10 *Sigebertus à* legatis Lotharii relocatum *Benedictum scripsit. Neque Lotharium Romanos legatos suscipere, suos quibus Benedicti causam ventilandam committeret delegare potuisse negaverim: nihil tamen de Romanorum turbis Lotharium in Prumiensi secessu delitescentem rescivisse crediderim.*

855	15	39	7	12	6	11	10	14	9	3	4
856	1 Ludovici solius.	1 Lotharii Caroli jun.	8	13	7	12	11	15	1 Benedicti.	4	5

innotuerat, ubi Romam appulerunt à Benedicto jam sedente privilegium impetrarunt, quod extat Concil. Gall. Tom. 3. Vide Nicolai 1, Hincmari, Flodoardi testimonia, quibus evincitur, eodem quo mortalitatem explevit Leo anno & mense Benedictum electum fuisse.

Regnante Domino nostro Iesu Christo, anno 855 ab incarnatione ejus, Lothario imperante 15, indictione 3, mense Ianuario, 6 Idus ejusdem mensis, apud urbem Valentinam in domo Basilicæ S. Ioannis (*in causa Gotteschalci congregata Synodus.*) In nomine Dei omnipotentis, anno incarnat. Dominicæ 855, indictione 3, mense Febr. die mensis ejusdem 4, Ludovicus Augustus apud Ticinum civitatem (*conventum habuit.*)

Lotharius in Prumiæ monasterium, regno temporis se exuens, ingreditur, [11] tonsoratus, & Monachus effectus, aliquot diebus interpositis defungitur, ab anno incarnatione Domini 855, imperii vero 23 [12] (*Ado. Vide Marianum, Sigebertum, Hermannum, &c.*) Lotharius Imp. morbo correptus, vitamque desperans, monasterium Promeæ in Arduenna constitutum adiit, seculoque & regno penitus abrenuncians tonsus est, vitam habitumque monachi humiliter sumens, &c. intra sex dies vita decessit, 3 Kal. Octob. (*Annal. Bertin.*

[11] *Id Septembris 22, feria 1, factum est: nondum enim abdicaverat cum Benedicto locum fecit Leo.*

[12] *ab anni* 833 *Octobri, quo abdicare coactus Ludovicus Pius.*

In mense quinto consecrationis hujus præclari Pontificis, mense Ianuario, die . . . . fluvius qui appellatur Tyberis alveum egressus est suum, &c. ingressus est per porticum, quæ est posita ante Ecclesiam S. Marci, mense supradicto, die 6 apparitionis Domini nostri Iesu Christi secundum carnem, id est Theophania: *Anastas.*

quintum mensem *vocat qui revera quartus erat Benedicti, quia scil. Septembrem & Ianuarium delibaverat, Octobrem, Novembrem, Decembremque medios expleverat.*

Edilwlf Rex occid. Anglorum, Iudith filiam Caroli, Kal. Octob. in Vermeria palatio ducit. *Annal. Bertin.*

Benedictus epistola ad Episcopos regni Caroli regis data, *pacem à se inter Hludovicum*

Malè ab anno 856, *Benedicti*

L *Cæsa-*

857	2	2	9	14	8	13	12 Michaëlis ſolius.	16	2	5	6
858	3	3	10	15	9	14	2	1 Michaëlis ſolius.	1 Nicolai.	6	7
859	4	4	11	16	10	15	3	2	2	7	8

Cæsarem semper Augustum suosque gloriosos germanos, Hlotharium & Carolum reges munitam testatur. Vide Concil. Gall. Tom. 3.

vivente Lothario electi Papatum orditur Herman. edit. Colon.

Ludovicus Imp. cum Lothario & Carolo fratribus apud urbem convenit. (*Annal. Bertin.*) Lotharius Teutbergam ducit (*Annal. Matenses.*

Maji 11, Consulatus Ludovici anno 8, indict. 5, per Megistum Episcopum Ostiensem Dionysiano Monasterio privilegium largitur Benedictus.

Hinc male Marianus & Vrspergensis Benedicti Papatum ordiuntur.

Lotharius concubinis abutens, uxorem suam *Teutbergam* Reginam abjicit. *Annal. Bertin.*

Synodus in Carisiaco mense Febr. Capit. Caroli Calvi tit. 20.

April. 8, diem ultimum obit Benedictus, succedit Nicolaus, April. 24, feria 1, consecratus.

Hinc absurdissime Ioanna Papatum inchoat Bergomas.

Anno incarnat. 858, ordinat. suæ 3, indict. 6, capitulare condit Herardus Turonensis.

Concilii in Carisiaco ad Ludovicum German. regem mense Novembri data epistola.

Concilium Constantinopolitanum, quod deturbato Ignatio, Photium Decemb. 25 ad Patriarchatum erexit.

Edilwlf Rex occid. Saxonum moritur, relictam ejus Iudith reginam Adalboldus filius ejus uxorem ducit, &c. Benedictus Rom. Pont. moritur. Nicolaus præsentia magis ac favore Ludovici regis & procerum ejus quam Cleri electione substituitur. *Annal. Bertin.*

malè Carolum Provinciæ regem hoc anno decessisse somniavit Regino.

Hujus præclari Pontificis tempore, id est mense Octobri die 30, indict. 8, fluvius qui appellatur Tyberis alveum suum egressus est, &c. Simili modo in mense Decembrio, die 27, Natali S. Ioannis Euangelistæ, indictione supra scripta, ingressus est alia vice fluvius. *Anastas.*

Nicolaus Pont. Rom. de gratia Dei & lib.

 arbitrio,

Anni Domini.	Anni Ludovici Pii.	Anni Lotharii cum patre regnantis.	Anni Imperii Ludovici cum patre.	Anni regni Ludovici cum patre.	Anni consulatus Ludovici II.	Anni Ludovici & Caroli Calvi ex Sigeberto.	Anni Theophili ex Sigeberto.	Anni Theophili ex Curopalata.	Anni Gregorii IV.	Indictiones desinentes in Septembré.	Indictiones ineuntes à Septembri.
860	5	5	12	17	11	16	4	3	3	8	9
861	6	6	13	18	12	17	5	4	4	9	10
862	7	7	14	19	13	18	6	5	5	10	11

arbitrio, de veritate geminæ prædestinationis, & sanguine Christi, ut pro credentibus omnibus fusus sit, fideliter confirmat, & Catholice decernit. *Annal. Bertin.*

Concil. Constantinopolit. advers. Ignatium.

Concilium Metense indict. 7, quinto Kal. Iunias, epistolam dat ad Ludovicum Germ. regem.

Concilium Lingonense circa Iunii 1 congregatum.

Concil. Tullense ad Saponarias, cui oblata à Carolo Calvo adversus Wenilonem Senonensem proclamatio, 18 Kal. Iul. indict. 7.

Conventus duplex Aquisgrani in causa Lotharii & Teutbergæ, 5 Idus Ianuar. & mediante Februario mense, indict. 8.

Hinc absurde Nicolai annos inchoat Marianus.

Concilium apud Tusiacum Tullensis parochiæ villam, anno incarnat. 860, indict. 9, 11 Kal. Novemb.

Concilium Confluentinum nonis Iunii. Nicolai epist. 2, 3, 54, & appendicis 1. Radoaldus Portuensis & Zacharias Anagninus Septemb. 25 Constantinopolim missi.

Teutberga pœnitentiæ addicta est atque in monasterium retrusa, ad fratrem suum Husbertum in regno Karoli aufugit. *Annal. Bertin.*

Concilium Romanum in causa Ioannis Ravennatis.

Concilium Episcoporum 318 in æde Sanctorum Apostolorum Constantinopoli adversus Ignatium congregatum. Nicol. epist. 5.

Concilium Romanum adversus Theopaschitas.

Lotharius Waldradam concubinam coronat. *Annal. Bertin.*

Concilium Aquisgrani 3 Kal. Majas in causa Lotharii & Teutbergæ congregatum. Nicol. epist. 4, 6, 7, 18, 19, 20, 21, 22, 23, 59,

 60,

863	8	8	15	20	14	19	7	6	6	11	12
864	9	9	16	21	15	20	8	7	7	12	13

60, 61. Append. 1, 2, 6, 7, 8, 18. Ejuſdem epiſt. ad Wenilonem Senonenſem.

Iudith relicta Edelboldi ad patrem rediit, &c. Balduinum Comitem ipſo lenocinante & fratre ſuo Ludovico conſentiente, mutato habitu eſt ſecuta. *Annal. Bertin.*

Concilium in Convicino propter Silvanectum adverſus Rothadum Sueſſionenſem. 8 Kal. Novemb.

Concilium Piſtenſe.

Concil. Metenſe in cauſa Lotharii & Teutbergæ menſe Iunio indict. 11.

Concil. Rom. adverſus Teutgaudum Trevir. Guntharium Colon. & Zachariam Anagninum prævaricationis reum.

Nicol. epiſt. 28, 29, 30, 31, 32, 33, 34, 48, 62, 63, 64, 65, 66, 68, 69, & append. 3, 5. dat. anno Ludovici 14, & poſt 14, Indict. 11, 4 Kal. Maji, Carolus Lotharii Imp. filius, & Rex Provinciæ, diu epileptica infirmitate vexatus moritur. *Annal. Bertin.* conceſſa à Carolo Balduino indulgentia, ut & Iudithæ uxori.

Ludovicus Imp. poſt obitum patris 8 anno, mortuo fratre ſuo Carolo minore, & Lugduni ſepulto in monaſterio S. Petri, in Eccleſia S. Mariæ ſemper virginis, cum fratre Lothario regnum fratris mortui partitur. *Ado.*

Nicol. epiſt. 34, 35, 36, 37, 45, 67. Append. 4, 9, 10, 14, epiſt. ad Rodulphum Bituric. de Chorepiſcopis, Sigebodo Narbonenſi, &c.

Hugberto occiſo, Teutberga ſoror ad fidem Caroli venit. Annal. Bertin.

Ludovicus Imp. Romam ea intentione pergit, quatenus aut Papa Rom. Guntharium & Teutgaudum reſtitueret, aut hoc facere non volenti noxie quodammodo manum mitteret, &c. fugata proceſſio, cruces fractæ, &c. poſtea tamen cum Papa Imperatricis fidejuſſione ad Imp. veniſſet, pacem inivit.

Anni Domini.	Anni Ludovici Pii.	Anni Lotharii cum patre regnantis.	Anni Imperii Ludovici cum patre.	Anni regni Ludovici cum patre.	Anni consulatus Ludovici II.	Anni Ludovici & Caroli Calvi ex Sigeberto.	Anni Theophili ex Sigeberto.	Anni Theophili ex Curopalata.	Anni Gregorii IV.	Indictiones desinentes in Septembre.	Indictiones ineuntes à Septembri.
865	10	10	17	21	16	21	9	8	8	13	14
866	11	11	18	23	17	22	10	9	9	14	15

Concil. Romæ in causa Rothadi Suessionensis & adversus Radoaldum Portuensem contumacem, 12 Kal. Feb. congregatum.

Nicolaus misso Arsenio Ortensi Episcopo Carolum Calvum ab invadendo Arelatensi regno dehortatur. epist. 25, 26 append. 11.

Nicol. epist. 27, 39, 40, 41, 42, 43, 44, 45. ad Carolum, Egilonem Senonensem, Salomonem Britonum Ducem. Septemb. 17, indict. 14. Teutberga ab Arsenio Lothario reddita sub adjuratione & excommunicatione, Iun. 15 Attiniaci; eandem cum Lothario apud Gundulfi villam coronat August. 15. Annal. Bertin.

Bulgarorum legationem ad Nicolaum male in hunc annum confert Sigebertus.

Ad hunc Catholicum & vere Præsulem orthodoxum legatos suos mense Augusto indict. 14 destinavit Bulgarorum Rex Michael. *Anastas.*

Epistolam nostram per indict. 14, prædicto Imp. (*Michaeli*) per jam nominatum Michaelem protospatharium legatum suum direximus, &c. cum his anxietatibus undique coarctaremur, & ingentibus premeremur angustiis, &c. subito legati jam fati regis Bulgarorum nobis adesse nunciantur. *Nicol. epist.* 70, *resp. ad consulta Bulgar.*

Nicol. epist. append. 12, 13. April. 3, & Iunii 13, Ind. 14, Epist. 1, 7, 8, 9; 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16. Idib. Novemb. indict. 15. Epist. 46, 47, append. 15, 16. Decemb. 6, indict. 15.

Humbertus frater Teutbergæ Lothario regi rebellat. *Annal. Metenses.*

Concil. 3, Suession. in causa Wulfadi, &c. Augusti 18.

Bardas cæsus Aprilis 1, indict. 14. Basilius Macedo Maji 26 die Pentecostes Imp. salutatus. *Curopalates.*

Anni Domini.	Anni Ludovici Pii.	Anni Lotharii cum patre regnantis.	Anni Imperii Ludovici cum patre.	Anni regni Ludovici cum patre.	Anni consulatus Ludovici II.	Anni Ludovici & Caroli Calvi ex Sigeberto.	Anni Theophili ex Sigeberto.	Anni Theophili ex Curopalata.	Anni Gregorii IV.	Indictiones desinentes in Septembre.	Indictiones ineuntes à Septembri.
867	12	12	19	24	18	23		10	10	15	1

Nicol. epist. 49, 50, 52, 53, indict. 15, Ianuar. 25, Feb. 6, Mart. 7, Epist. 55, 56, 57, 58, 70, indict. 1, Octob. 22, 29, 30. append. 17.

Concil. Trecense in causa Hincmari 4 Nonas Novemb. indict. 1 congregatum.

Postquam sedem Apostolicam victoriosissime, & ut verus Dei athleta Catholice ac principaliter rexit, ex hac luce Idus Novemb. indict. 1, [1] migravit ad Dominum. *Anastas. in Nicolao. Annal. Bertiniani.*

Cum Apostolicæ memoriæ sanctissimus Papa Nicolaus rebus excessisset humanis, & iste Hadrianus impræsentiarum [2] tertio quintum & vicesimum annum transiret, omnes urbis Romæ concives, &c. Hadrianum desiderant, &c.

Sabbatho peractis rite orationibus, vigiliis, & eleemosynis, Dominico secundum morem idem venerabilis sacerdos ab universitate ad Ecclesiam S. Petri Apostolorum principis ductus 19 Kal. Ianuarii [3] Indict. 1, anno præfati Augusti 19, per Episcopos Reverendissimos scil. Petrum Gabiensem, Leonem Sylvæ candidæ, deinde tertio loco Donatum Ostiensem, quia Episcopus [4] Albanensis obierat, Formosus vero Portuensis à Beatiss. Nicolao ad prædicationem & instructionem Bulgarorum destinatus extiterat, benedictionem Summi Pontificatus, &c. suscipere meruit. *Guill. Bibliothec. in Hadriano II.*

Cum Michael 15 annos & menses 8, una cum matre regnasset, 9 vero solus, atque 10 inchoato, multa mala adversus Ecclesiam patrasset, tandem moritur. Erat initium primæ indictionis, 24 [5] mensis Septembris cum Basilius ad palatium evectus Imperator proclamatur. *Curopalates.*

Lotharius Theutbergam uxorem suam Romam misit, ut seipsam criminaretur, &c. jussa est ad virum reverti. *Annal. Bertin.*

[1] *Male itaque Marianus obiisse vult A.D.* 869. *Decemb.* 6.

[2] *id est anno ætat.* 75.

[3] *Nota characteres qui soli anno* 867 *competunt.*

[4] *Petronacius qui A.D.* 853, *Decemb.* 8, *inter Anastasii damnatores sedit.*

[5] *Vita Ignatii* 23 *Septemb.*

Hadria-

868	13	13	20	25	19	24	12	1 Basilii Maced.	1 Hadriani II.	1	2
869	14	14	21	26	20	25	13	2	2	2	3

Hadrianus Rom. Eccl. 104 præsidet [1]. Cometes manifeste apparet. *Sigeb.*

Michael Græcorum Imp. sensu deminutus [2] adeo mente excedebat, ut familiares suos juberet occidi, quos tamen ad se rediens, sibi præsentari exigebat. *Idem.*

Concil. Wormatiense 17 Kalend. Iulii, indict. 1.

Concilium Romanum adversus Photium mense Iulio.

Hadrianus varias epistolas scribit Febr. 2, 12, 17. Mart. 6, 7. Augusti 1.

Quarta feria post initium quadragesimæ, factione Arsenii filius ejus Eleutherius filiam Adriani Papæ, ab alio desponsatam, dolo decepit & rapuit, sibique conjunxit: unde idem Papa nimium est contristatus. Arsenius ad Ludovicum Imp. pergens in Beneventum infirmitate corripitur, & thesaurum suum in manus Ingelbergæ Imperatricis committens, &(ut dicebatur) cum dæmonibus confabulans, sine communione abiit in locum suum. Quo mortuo Adrianus Papa obtinuit apud Imperatorem missos, qui præfatum Eleutherium secundum leges Romanas judicarent. Isdem vero Eleutherius (ut fertur) fratris sui Anastasii quem Bibliothecarium Romanor. in exordio ordinationis suæ Adrianus constituerat, Stephaniam uxorem ipsius Pontificis, & ejus filiam quam sibi rapuit, interfecit & isdem Eleutherius à missis Imperatoris occisus est. Adrianus vero Papa congregans Synodum supradictum Anastasium alterum condemnavit. Octob. 12, Indict. 2. Annal. Bertiniani.

[1] *Male in hunc annum Nicolai transitum differt Regino, recte & contra Sigebertus nunc primum Hadriani meminit; sedere enim cœperat anni 867, mense ultimo.*

[2] *Anno 867 à Basilio casum Curopalates & Nicetas oculati testes meminerunt.*

Hadrian. Iun. 10, epist. ad Ignatium Patriarcham dirigit per Legatos. Vide ejusd. epist. 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17. Concil. Gall. Tom. 3.

Concilium apud Vermeriam.

Concil. Metense.

Con-

Male Sigeb. in hunc annum Basilii primordia confert; is enim ann. 867, Michaelem à quo paulo ante Cæsar salutatus fuerat

870	15	0	22	27	21	26	1	3	3	3	4

Concilium Conſtantinopolitanum adverſus Photium, Octob. 5, fer. 4. indict. 3, congregatum, legatorumque Hadriani præſentia cohoneſtatum, duravit in annum ſequentem.

oppreßit, ſuperſtite in finem uſque anni Nicolao Papa.

Lotharius Romam profectus eſt, &c. diem clauſit extremum 6 Idus Auguſti, feria 2, hora diei* ſecunda, Placentiam civitatem perveniens, Annal. Bertin. *Regino. idipſum Herman. Marian. Lambertus, Annales Fuldenſes, &c. confirmant: ſed malè Marianus Lotharium, Ludovici immemor,* Imperatorem *vocat.* Carolus Septemb. 5. Mettis venit, ibidem Septemb. 9, in æde S. Stephani coronatur, Hirmentrudis regina obiit Octob. 6, Carolus Richildem ducit.

Synodus Conſtantinopolitana, quam Latini octavam vocant, Febr. 28, fer. 3. Baſilii anno 3, indict. 3, ad finem perducta, ad Hadrianum Papam Epiſtolam ſcripſit, ut & Baſilius Imp. & Ignatius muneri reſtitutus: reſcripſit autem Hadrianus paulo poſt. Hadriani epiſt. 18, 19, 20, 21, 22, 23, 24, 25, 26. Concil. Gallic. Tom. 3.

Male Sigebertus ad hunc annum, Lotharii anno 869 defuncti iter differt.

Concilium Attiniacenſe menſe Majo.

Concilium Colonienſe 6 Kal. Octobris.

Hinc patet fieri nullatenus poſſe, ut Ioanna ulla, ullo inter Leonem ſive *quartum* ſive *quintum* Benedictumque tertium tempore ſediſſe dicatur; cum certiſſimis ipſaque meridiana luce clarioribus argumentis Anaſtaſium Bibliothecarium (in cujus partes Marianus, Sigebertus, &c. velint, nolint, transeunt) vera compertaque de duobus hiſce pontificibus, retuliſſe; Leonem anno demum 855, Iulii 17 hominem exuiſſe: Benedictum menſis ejuſdem 19, feria 6, duobus circiter ante Lotharii Imperatoris ſupremam horam

horam menſibus electum, Septembris 29, feria 1, qua elatus Lotharius, incardinatum conſtet; adeoque impoſturam vel feciſſe, vel paſſos (quicunque tandem illi ſint) decantatæ per ſecula propemodum ſex fabulæ ſive parentes ſive amatores. Eat igitur tandem aliquando quo digna eſt, ἐς κόρακας.